NAZ.
e III
X
9

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
129
NAPOLI

Poesia latina

~~Scant 6. N.o 33 [illegible]~~
Scann. III num.o pr.o libro 13
Grup.s 15

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBRI IX.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

BIBLIOTECÆ CAPUCCINORUM CONCEPTIONIS NEAPOLIS

INGOLST

Apud Andream Angermarium.

M. D. C V I I.

IOANNIS BOCHII S. P. Q. ANTVERPIENSI A SECRETIS

AD

MAXAE MYLIANVM VRIENTIVM EPIGRAMMA.

*H*VMANOS *Latio depingis carmine mores,*
Ludisq́ue è metrica perficis arte iocos.
Perſtringis fugienda, bonos EPIGRAMMATE *laudas,*
Et malè cum multo facta lepôre notas.
Cum ſale delicias, cum riſu ſeria miſces,
Temperat & Verſus Muſa faceta graues.
Ingenij ſunt iſta tui gratiſſima, VRIENTI,
Munera, ſunt Vitæ conſona ſcripta tuæ.
Cenſor es egregius morumq́; examine gaudes,
Factaq́; ſcribendi ſunt aliena ſeges.
Hinc decus, & ſero Victurum nomen in æuo,
Et iam laurigeræ præmia frontis habes.
Donec fatidici Venient ad pocula Vates;
Theſpia Parnaſſi quà ſalit Vnda iugo:
Turba ſitim pellet de faucibus enthea ſuccis
MAXIME, *nectareis,* ÆMYLIANE, *tuis.*

IANI LERNVTI EPIGRAMMA IN IX. LIB. EPIGRAMMATVM MAXAEMYLIANI VRIENTI POETAE GANDENSIS.

VRIENTI Caſtalidum Nympharum candide amator,
  LAVREA cui crinem ſerta decenter obit;
Gaude, quod culto tibi palma EPIGRAMMATE parta eſt:
  Hoc TER TRES LIBRI liberi ita eſſe docent.
Téque perurbanum oſtendunt, & dulciter acrem;
  Ni facerent, eſſet frons tua læta minùs.
Sed fas Inuidiæ laqueum mandare ſequaci:
  Cauſa, tibi frontem cur leuet aptus honor.
Nunquam te totum rapiet manus improba leti,
  Gloria nam cineres excubat ante tuos:
Et pennâ ſolui metuente ſuperba feretur
  Qua Sol ſubiectam cumque ſerenat humum.
Hanc tu præclara meruiſti carminis arte.
  Condiat ipſa Sales quòd Dea nata Salo.
Cur ego laude ſuperuacua celebrem tua ſcripta?
  Scripſit ea in tabulis DIA IVVENTA ſuis.
Permeſſiq; ſacro vix nata liquore rigarunt (NOVEM
  Alma TRIAS CHARITVM, MNEMOSIDESq;
Moliar in vanum humano præconia faſtu;
  Sit tibi ſit cœlo te placuiſſe ſatis.

EPI-

EPIGRAMMA
IIRMEIÆ PIERSSENÆI
I. V. D.
IN MAXÆMYLIANI VRIENTI
ADFINIS SVI
EPIGRAMMATA.

MVSAEO *omniparens* CARI NATVRA *furori*
Debet,& ANDINOMARS *ferus imperium:*
Ingenua exculti Verſus Dulcedo CATVLLO,
Cùmque LEPORE *omnis docti honor* INGENII:
Eidem Vni CHARITES *numeroſaq;* SYLLABA *debet,*
SYLLABA, *quæ paucorum auribus inſonuit:*
GRATIA *non parium* NVMERVM, *&* ROMANA TIBVLLO
DICTIO, *inoffenſo flumine lene fluens:*
MVSAE *ſed* VENVS *&* DOCTRINA *polita* PROPERTI,
Nulli cedentis arte nec ingenio:
Atque horum Vnicuique TRIVM *ſua regna* CVPIDO,
Illorum multo æterna magiſterio:
FLACCO PINDARICI *Vitalis gloria* PLECTRI,
LVCILI *audaces cum* DECIO SATYRAE.
Sola at blãda Vidẽs ſuperare EPIGRAMMATA VRIENTVS
Deſerta, ac nullo tuta PATROCINIO,
Illorum penitùs DEVOTVS *mente* SALVTI
Hæc ſibi cum AETERNO NOMINE *demeruit:*
Illi Vni Vt tantum debere EPIGRAMMATA *clament,*
Quantũm ea Vel ſimul, aut ſingula PHOEBE, *tibi.*

FRANCISCI HARDVYNI
IN EOSDEM
EPIGRAMMATVM LIBROS
EPIGRAMMA.

POST obitum in varias animas decedere formas,
Adducor tecum credere, Pythagora.
VRIENTIVS in cauſa eſt, ſalſo cui tincta ſuaui
Aurea tam lepido carmine vena ſalit;
BILBILICVM vt iures ipſi immigraſſe POETAM,
Aut ipſum quondam BILBILICO potiùs.

IVSTI HARDVYNI
FRANCISCI FILII
In contrariam ſententiam
EPIGRAMMA;

PACE tua, Pater, eſt Samij ſententia vana,
Et vetat hanc ſanam credere ſana fides.
At quondam extrema moriens teſtatus in horâ
BILBILICVS VRIENDO plectra lyramq; dedit.
An mirum eſt igitur, ſi terſa Epigrammata ſcribat,
Condiat & parili melliniâ atque ſale?

MICHA-

MICHAEL VANDER HAGHEN ANTVERP. MEIRÆ DOMINVS AD MAXAEMYLIANVM DE VRIEND SENAT. GAND. A SECR. POET. ILLVST.

VRIENDI *Pegaſidum cor deliciaque Sororum,*
Phœbi amor, & Charitum dulcis ocelle trium;
Palladiiq́ʒ decus rarum & noua gloria cætus;
Cui geniale dedit nomen & omen AMOR:
Quid de te ſperare iubes nos, per iuga Pindi
Qui tecum Aonijs labra rigamus aquis?
Nil præter Veneréſque, ſales lepidóſque, lepóres,
Et carmen, ſpirans Pallada Vtramque, tuum:
Ambroſiámque nihil præter, Vel amabile nectar,
Nil humile in quo ſit, nil triuiale litum.
Nam tibi cæleſte ingenium, Venámque benignam,
Carminis aureoli Delius ipſe dedit.
Melliflua ergo tua hæc in apricum carmina profer,
Digna tuis Muſis, digna Videre diem:
Queîſque tibi extendas Victurum in ſæcula nomen;
Et Vatum attonitâ quæ legat aure chorus.

MAXÆMYLIANI VRIENTII GANDENSIS EPIGRAMMATVM LIBER I.

Illuſtri Domino

IACOBO PHILIPPO DE VILAIN ISEGHEMII COMITI.

PRINCIPIS *in laudē q̄ pauca præiuit Apollo*
Verba mihi, metrico non bene fulta pede,
Illa tui precor Vt Zephyro ſubuecta fauoris,
AVSTRIACI *ſolium ſint aditura* DVCIS;
DOCTE COMES, *comiſque* COMES, *comes aura Ca-*
Sola meæ ALBERTI *nec minùs aura tui.* *(mœnæ*
Sic, ſic ille nouis te ſemper honoribus ornet,
Sic mihi (carminibus ſi Venus Vlla meis)
Illius auguſtæ liceat ſemel oſcula dextræ
Figere, & hoc tanti Solis adire iubar.

OLIM *Cæſaribus fuerant pia cura Poëtæ.*
Cæſaris hic frater, Cæſareúmque genus.
Quis ſcit, an è nullo me fecerit ille Poëtam?
NAM *licet è nihilo fingere cuncta Deo.*

IN VICTORIAM CALETENSEM
Ad Sereniſſ. Archiducem
ALBERTVM AVSTRIVM BELGICÆ PRINCIPEM.

ADSPICE MAGNE DVCVM *tibi quæ deuicta* CALETIS
Regna velut triplici portâ adeunda ferat.
Adſpice vt indecori trepidans formidine TRIPLEX
FACTIO, *ceu triplici compede vincta, gemat.*
Viſa inuicta diu tanto ſibi GALLIA *aſylo,*
Victa, ferè citiùs quàm fuit icta, ſtupet.
ANGLIA *vicini populi concuſſa ruinâ*
Horret, & è ſpeculis proxima fata timet.
Dextera MATTIACIS, *tremit auris læua* BATAVIS*,*
Surdaq́ue nunc etiam ſurdior eſſe velit.
At Pater OCEANVS *victricia Regis* IBERI
Aggere in ICCIACO *ſigna volare videns;*
Plauſit iô, & lætus ſucceſſu, talibus inſit:
Hac maris ad regnum certa reperta via eſt.
Hoc olim, hoc ipſo de litore CAESAR IVLVS
Soluit, & ALBIONIS *victor in orbe ſtetit.*
Tu quoq́ue PORRO VLTRA *ſate Cæſare perge,* BRITANNA
Non niſi CAESAREA *gens ſuperanda manu eſt.*

IN VICTORIAM HVLSTANAM.

CVR voluit PRINCEPS ineuntis ſidere IVLI
HVLSTIACVM valido cingere Marte ſolum?
Magnus IVLAEO deſcendēs STEMMATE PRINCEPS
Menſe tuo, IVLI, non niſi magna parat.
Cur verò AVGVSTVS deuictam tradidit vrbem?
Natus vt AVGVSTO CAESARE VICTOR ouet.

ALBERTI PRINCIPIS VOTVM AD D. VIRGINEM MARIAM HALLENSEM.

HANC ego purpureo ſaturatam murice veſtem,
Pluribus ambitam, ſponte mihi poſitam,
ALBERTVS tibi, DIVA, tuâ tuus offero in Aede;
VIRGO PARENS, famuli ſuſcipe vota tui.
Et mea ſi placuit pietas, pro munere tali
Prole, toro, & regno me noua NVPTA beet.

IN SERENISS. ALBERTI ABITVM ET REDITVM.

MIRAMVR patriam tenebris inuoluier atris?
Non ego: nā PRINCEPS, Sol Patriæ vnus, abit
Sic vbi ad Antipodes Phœbus ruit aureus, atras
Nox quoque tunc tenebras præcipitare ſolet.

Miramur patriam longâ caligine ſeptam
Lumine poſt tenebras candidiore frui?
Non ego: nam PRINCEPS *procul Heſperio Orbe reuerſus*
Purpureo clarum ſpargit ab ore decus.
Sic Vbi ab Oceano lotus redit hoſpite Phœbus,
Fulgidius toto ſpargit in orbe iubar.
Quis te non, PRINCEPS BELGI *Solem aſſerat* ORBIS,
Qui lucem populo daſq; adimiſq; tuo?

IN IGNES GANDAVI STRVCTOS
INGRESSV
ALBERTI ET ISABELLÆ
PRINCIPVM III. KAL. FEB.
Anno ſęculari M. D C.

I.

VIDERAT *inſolitis* GANDAVVM *igneſcere flammis*
Iuppiter, & rutilas ire ſub aſtra faces:
Subſtitit, & Phœbum praſtò Vocat, & tuus orbem
Ecquid adhuc Phaëthon deuius Vrit? ait.
Delius arridens, Parce, ô Pater optime, dixit.
Nulla mea hîc, nati flamma nec Vlla mei:
Ipſe ſed in terris tot læta incendia miſcet,
Præſenti AVSTRIADVM *numine, lætus Amor.*

II.

Iuppiter Alcmenæ in thalamum delapſus adulter
Tres Veneri noctes continuauit amans:
Nubilus ille nigris Orbem damnare tenebris
Auſus, & in flammas nequiter ire nouas.

Clarior

Clarior ALBERTVS *ſtructis latè ignibus, Orbi*
Qui vehit illuſtres tres ſine nocte dies.

III.

Expertes noctis tres illuceſcere Soles
Miretur nemo. cur ita? cauſſa patet.
AVSTRIVS *en Phœbus, cõiunx ſimul* AVSTRIA *Phœbe,*
Aureus hic radiis, aurea & illa ſuis:
Aureus ALBERTVS, *ſimul aurea tota* ISABELLA,
Inſolitum præſens iungit vterq; iubar.

IN CVNAS

D. CAROLI QVINTI

Gandaui vrbe ſibi natali ſeruatas.

ILLVSTRES CVNAE! *Ganda decus vrbis & orbis;*
In quibus ille olim, ſarcina dia puer
CAROLVS, *has primùm vagitibus imbuit auras,*
Dum ruber à partu iam Ioue dignus erat;
Irrepſitq; tener, riſuq; agnoſcere matrem
Cœpit, & arguto reddere verba ſono:
Mox cælum atque ſolum famæ creſcentis honore
Impleuitque animis Solis vtramque domum.
FELICES CVNAE! *quo vos ego carmine, qua vos*
Voce pia, aut plectro conueniente canam?
Vobis Ida vetus, vobis Chironia Tempe
Cedat, & illa ſuo Roma ſuperba Remo;
Et Ioue Creta potens, & clara ab Apolline Delos,
Et Thebæ, & ducibus Sparta animoſa ſuis,
Et quæcumque alios iactant cunabula Diuos,
Aut quæcunque alios ſunt habitura Deos.

Vnius

Vnius AVGVSTI *concedant omnia* CVNIS,
Illis nil maius dicere, Fama, potes.

AD EFFIGIEM VTRIVSQVE PHILIPPI II. ET III.

Patris & Filij, Regis & Principis Hiſp.

CONIVNCTVM *Occiduo Solem qui quaris Eoum,*
Huc ades: hic oculum fige, & vtrumq; pedem,
HESPERVS *hic, illic roſeo ſtat* LVCIFER *ortu;*
Sol cadit hic, illic ſurgit; vtrumque vides.

IN SCITVM EIVSDEM REGIS

Nec ſpe, nec metu.

HINC SPES, *inde* METVS, *veluti duo verbera Cauri,*
Alterno quatiunt fluctu hominum omne genus.
Qui ſimilis tibi nil SPERAT METVITQVE PHILIPPE,
Omnē ſupra hominem proximus ille Deo eſt.

IN SYMBOLVM DVCIS ALENCONII

Imaginarij Belgicæ Reguli

Fouet & diſcutit.

ARMA *iniuſta* FOVET, *& leges* DISCVTIT *æquas.*
Quàm bene Alenconius DISCVTIT *atque* FOVET!

IN

IN SYMBOLVM GVILIELMI NASSOVII

Mediis tranquillus in vndis
Subiecto nido Halcyonum.

FRVSTRA *ais*, ORANGI, MEDIIS TRANQVILLVS IN VNDIS
HALCYON *in Batauis glande petitus aquis.*
Certa mari in magno nemo HALCEDONIA *ſperet,*
HALCYONES CONIVX *æquore ſparſus obit.*

IN TESSERAM BATAVORVM

Iam aut nunquam.

ALEA *iacta tibi eſt confidentiſſime* CATTE,
IAMq; *adeò* AVT NVNQVAM *Teſſera vestra crepat.*
Teſſera vana, ſuperba, minax, Rubiconis ad amnem
Qualis & à Caio Cæſare lata fuit.
Illius exemplo tibi ſi regnare libido eſt,
Illius exemplo ſit periiſſe tibi.

IN EOSDEM.

OMNIA *dum paſſim tonitru percellis inani,*
Enſe, face, & rapto, CATTE, *ſuperbe, minax;*
Et nihil ALBERTVS, *tibi nil Hera magna* ISABELLA *eſt,*
Nil Iber, & penitus Flandria tota nihil,
Nil Deus, atque ipſum tibi nil niſi fabula cælum:
Hoc facis, vt fias tu quoque, CATTE *nihil.*

Ad Sereniſſ. Principes

ALBERTVM ET ISABELLAM

IN SYMBOLVM

Solatur vterque.

QVALES *Tyndaridæ, duo lucida ſidera cæli,*
SOLANTVR *trepidis anxia corda Viris,*
Cum maris horriſoni tumidis furit Vnda procellis,
Surgit & in laceram, Cauro animante, ratem:
Tales AVSTRIADAE, *Regum genus, aurea Belgi*
Sidera, & Vnanimis copula fida tori;
Aequora Belgarum Boreâ *perflante rebelli,*
SOLANTVR *populi pectora* VTERQVE *ſui.*

AD EOSDEM.

IN SYMBOLVM

Conſpirat vterque.

CONSPIRENT *Batavi licet infeſtique Britanni,*
Et ſimul AVSTRIADIS *Vltima quæque parent;*
Dũ tamen VNA FIDES ET AMOR CONSPIRET VTRI-
Ilicet hoſtilis Spiritus ille cadet. (QVE,

COMPARATIO

Sereniſſimi Principis

ALBERTI, ET PERSEI.

REGALEM ANDROMEDEN, *materni ob crimina faſtus,*
Expoſitam PHOCAE *fama fuiſſe refert,*

Deſerto

Deſerto in Scopulo, quam circum immania cete,
Triſtis & irati murmurat vnda maris.
Illa ſedet morti iam-iam deuota futura,
Muta metu, querulo ſed tamen imbre loquax.
Aduolat INACHIDES, *Cepheiaq́ deſuper arua*
Proſpicit, & viſa mox calet igne rea.
Arma capit, Nympham ſoluit, peſtem occupat enſe:
Sternitur illa mari, cedit at iſta Mari,
Libera, læta toro, lætâ Patriâ, atque parente.
Fallor, an ANDROMEDE *mox quoque talis erit*
FLANDRIA, *tot* PHOCIS *ſimel expurganda* MARINIS
VINDICIS ALBERTI *conſilio atque manu?*
Certè erit, & reducem modò PERSEA *cernere in illo eſt.*
Ille Iouis, magni CAESARIS *iſte genus.*
Ille Orci galeâ, tectusq́ adamantina ab harpe,
Gorgonis & clypeo, atque alite fultus Equo,
Palladis auxilio, quemuis ſtetit acer in hoſtem,
Phinea, & Atlantem, Phorcidaq́ anguicomam:
AVSTRIA *ſtirps auræ* HESPERIAE *ſubuecta fauore*
Altius, & FIDEI CASSIDE *tecta caput,*
IVSTITIAE ENSE *lat⁹,* CLYPEO *mūita* POTETNI
Pectus, & AVSTRIACAE PALLADIS *aucta toro,*
Dotalē ANDROMEDEN *quondā (heu!) florentia regna*
FLANDRIAE, *at ô miſeris nunc ea verſa modis,*
Non minus INACHIDE *victricibus aſſeret armis,*
Et pede ſub domino Monſtra ſubacta teret,
Monſtra faces cædemq́ pijs ſpirantia, diris
Faucibus OSTENDAE *quæ modò* LERNA *vomit.*
Tunc erit, vt niuei videantur PRINCIPIS *axes*
Plebis ad applauſum ſæpe reſiſtere equos.

Cui

Cui latus includens, DIVINAE PALLADIS INSTAR
EVGENIE, *obtendet laurea ſerta viro.*
At Soror Enceladi pernicibus excita pennis
INACHIDAE AVSTRIADEM *tollet ad aſtra parem.*
Audiet, & longè Boreas applaudet, & Auſter:
Vnaq; tunc populi vox erit, IPSE VENIT.

IN GRASSATIONEM ET FVGAM BATAVORVM FLANDRIA NEQVIDQVAM TENTATA MENSE IVLI ANNO M. DC.

VINCERIS *& vincis, premis & fugis, omnia captas,*
Nil capis, inſequeris, aſſequerisq; nihil.
Grande fremis, totusq; tremis: lepus & leo iuxtà,
Effere GEVSE *tumes, effere* GEVSE *times.*

IN NOVA MOLIMINA BATAVORVM.

PARTVRIVNT CATTI *quid Catti? immania* CETE.
Quid Cete? indomiti monſtra ſuperba maris.
Ecquis erit partus? proiecta halecula; murem
Ridiculum montes ceu peperiſſe ferunt.

ECHO.

DIC *mihi, quæ vacuo Dea ludis in aëre, belli*
Sæuiet an ſemper vis ſcelerata? rata.
Candida ſed pacem promittunt LILIA *Belgis;*
Lilia turbabit quis generoſa? ROSA.
Anne ea, quæ ſpinis dirum caput horret iniquis,
Vndique Terrarum Fæmina nota? NOTHA.

At

At quibus auxiliis noua IESABEL *ibit in arma?*
Aut quæ pars Vetulam curet amare? Mare.
An Batauos narras, coniuratóſque Valachros,
Aequore quos cingit Pontica Naïs? Ais.
Quæ referent tandem contemptæ præmia Pacis?
An bona Libertas ſic remeabit? Abit.
Ergo graui bello quis erit, te iudice, finis?
An plebs, an fuerit Victor Iberus? Herus.
Sic eat: interea quis erit tibi, Diua, receſſus,
Inficit hæc belli dum loca fumus? Humus.
At mihi Pierio placeat domus apta ſub antro,
Ridet Vbi æternum Vergeniale. Vale.

VOTVM AD IANI KAL. M. DCII.

Ad Illuſtrem Comitem

ISEGHEMIVM.

SI *mihi,* DOCTE COMES *Ianulibus hiſce Kalendis*
Non dare, non capere, at pauca Vouere licet;
Accipe, Voce meâ, Patriæ communia Vota;
Vtq; ea DI *faciant pondus habere, roga.*
ALBERTO *imperium, Vitalia pignora* CLARAE,
Belgica & heredes ſanguinis eſſe precor:
OSTENDAM *edomitam Flandrorum adiungier oræ,*
Ingenium Batauo mollius & melius:
Pace ſemel factâ, numquam IANVM *eſſe* PATVLCVM,
Marte ſed incluſo perpetuò CLVSIVM.

IN NASVM BATAVORVM

Silua-Ducis nequidquam tentatâ.

PRESSA *graui obſidio iamdudū* OSTENDA *rebellis,*
Dum riget, & glacie triſtis inhorret hyems;
Vltima defectu patiens incommoda ligni,
(Semper vt obſeſſis res ſua curta venit)
Lignatum MAVRVM *rogat ire, & cædere* SYLVAM
Quâ datur, & caſum claſſe referre nemus.
Ergo abit, inque DVCIS-SYLVAM *ruit acer, & illam*
A radice omnem ſpéque animóque metit,
Et quatit, atque arctâ vallorum indagine cingit,
Iam-iam rapturus ceu ſua ſceptra Ioui.
Aduolat AVSTRIACVS, *ſeptúſque fidelibus armis*
Magnanimo MAVRVM *cedere Marte iubet.*
Cedit, & infami relegens veſtigia paſſu,
Pondus habens naſi ſeſquipedalis, abit.
Et procul OSTENDÆ *oſtendens ſua grandia vela,*
Cras tibi de SYLVA *ligna vehentur, ait.*
Coruus hians contrà, CRAS CRAS *ne credite, clamat.*
FALLERE CRAS SEMPER PENDVLA CORDA SOLET.
Ponite ſpes vanas. MAVRI *vis irrita* SILVAM
CAEDERE *non potuit,* CEDERE *ſed didicit:*
Mille trahens trepidas, poſt terga fugacia, damas,
Et totidem lepores maximus ipſe lepus,
Tum montem ingentem lignorum, euerſáque ferro
Robora, prægrandes iliceaſq; ſtrues:
Auxilij tibi ſpem tam certam, OSTENDA, *futuri,*
Certa fuit MAVRO *quàm bene* SYLVA *tuo.*

IOCVS.

OSTENDAM vix poſſe capi, caput omne malorum
Perditè & aſſiſtim FLANDRIA tota dolet:
Quippe loci ingenio munitam, atque indole gentis,
Bella noua è bello quæ velut Hydra trahit.
Senſit & arguto ſubſannans ruſticus ore;
Quin captu facilis Lerna ea, dixit, erit:
Hanc modò ſi captent, nil non capere omnipotentes,
MILVIVS & BVBO notus vterque rapo.

DE VTROQVE MARCHIONE
ROBASIO
ET
RENTYO.

SVNT Helenæ fratres duo lucida ſidera cælo;
Hic pedes, alter eques; fortis vterque pugil.
LALANVS peditum, MELODVNVS Ductor equorum,
Hic gladio, ille haſtâ miles vterque bonus.
Aemula ſplendeſcunt aſtris gemina aſtra gemellis,
Mortales Superis qui neget eſſe pares?

GANDAVVM.

DELICIVM terræ, Frandri decus orbis, ocellus
Belgicæ, & ENIXO CAESARE VIRGO PARENS;
Concilio illuſtris, bello horrida, florida pace,
Pulchra ſitu, felix aëre, diues aquis.
GANDAVVM breuiter, nil vltrà quære, nec Vrbem,
Verùm Orbem in tanta mole videre puta.

IN IMAGINES GANDAVI.

*Q*VID *tibi cũ valido commũne,* PVELLA, LEONE *eſt?*
Non facit ad ſæuas innuba virgo feras.
Mitis ego, mitiſque meus LEO, *ne metue hoſpes:*
Nec læde; aut tanti vindicis arma time.

DE EADEM CIVITATE

Ad Sereniß. Principem

ISABELLAM.

PRIMA TVI CVNABVLA AVI GANDAM *aſpice,* PRINCEPS,
Cæſareum CAI *bellipotentis opus.*
Quàm benè de nato ſibi plaudit Cæſare Ganda,
Quæ fuit è Caio Cæſare nata priùs!
AVSTRIACIS AQVILIS *ceſſerũt* IVLIA SCEPTRA,
Ceſſit & imperio IVLIA GANDA *tuo.*

AD EFFIGIEM
ROBERTI A MELODVNO
MARCHIONIS ROBASII
EQVITVM MAGISTRI.

SALVE *ô magnanimum Martis genus, inclyte belli*
MARCHIO, *progenies digna parente tuo:*
Salue heros, ſalue Heſperiæ fortiſſime ductor
Militiæ, & Batauûm Mattiacûmq; tremor.
Te duce, LANOVVS BELLATOR FERREVS, *omni*
Agmine deiecto, ferrea vincla tulit.

Te

Te duce, ALENCONIVS *Belgarum eiectus ab oris:*
Te duce, GALLORVM LILIA *ſparſa iacent.*
Et maiora etiam fueras auſurus: at, eheu!
Fulminis humani proditione iaces.
Scilicet haud potuit tibi quis contendere apertis
Viribus, occulta fraude petendus eras.
Ilion & Thebæ, Fabijq́; & viribus ingens
Aeacides, cæcâ ſic periere nece;
Virtutem ſuperante dolo. ſed non tamen omnis
Morte peris; perit quod perijſſe decet:
At ſupereſt virtutis honos, quæſitaq́; bello
Gloria, quam pennâ perpete fama vehet:
Et tua poſteritas mirabitur æmula geſta,
Dum referent vultus ceraq́; & æra tuos.

AD IMAGINES MAIORVM
Illuſtriſſ. Principis

LADMORALDI
DE LIGNE

Equitis, Ordinis aurei Velleris.

LONGA *dies, belli furor, atque incuria patrum,*
Hæc terit, hic vaſtat, carpit & illa genus.
His fit, vt ignauâ lateat velut abdita nocte
Plurima magnorum ſtirps & origo virûm.
Sic veterum ceræ, tot ſtemmata priſca, tot olim
Nomina, nunc nullo nomine nota iacent.
SOLA *facit pictura, & non moritura poëſis,*
Nobilis æternum gentis vt exſtet honos.

Id memor à priſco deſcendens ſanguine BADEN
LIGNIVS, *hîc pictos viuere iuſſit auos.*

AD TRIVMVIROS PACIS BELGICÆ
IOANNEM RICHARDOTVM
Præſidem,
IOANNEM TAXIVM
Ordinis militaris D. Iacobi Commendatorem.
LVDOVICVM VEREYKEN
Audientiarium.

DOTE BONAE PACIS *nil toto eſt dulcius orbe:*
Dote, RICHARDOTE *Pax ea parta tuâ eſt.*
Acceſsit, poſito ferali germine, TAXVS,
Et viſa eſt Oleam mox peperiſſe nouam.
Ardua quam ſolido complectens robore QVERCVS;
Promiſit ſtabilem Pacis in orbe moram.
Arriſit reduci tellus, arriſit & æther,
Et ſignum à læuo Iuppiter axe dedit.
Ille ſuâ in QVERCV, *Pallas Dea* TAXO-IN-OLIVA,
DOTIS *amans, Pacis* DOTE *hilarata, Venus.*

IN TRIGAM.

PARTVRIVNT ANGLI; *naſcetur Simia monſtrũ,*
Syrma trahens Caudæ ſeſquipedale noua.
Parturiunt CATTI; *naſcetur Cercopithecus,*
Albioni in bellum cornua iuncta ferens.
Parturiunt VALACRI; *naſcetur Rana paluſtris,*
Quæ tibi, væ miſerum, dira coaxat Iber.

DI, *facite*, AVSTRIACO *plaudat* IOVIS ALES *ab alto*,
Vertat vt in celerem tot noua monſtra fugam.

SIMILE
AD PASQVINVM.

DIc *agedum*, PASQVINE, *quid ô molimine tanto*
Concipiunt Bataui, Saxonidaq́ꝫ feri?
Parturiunt, ſanè, ſic ſanè. at quo patre? MAVRO,
Quo Mauro? haud mauro. qua genitrice? LVPA.
Quid pariet tandem? TVRDORVM STERCORA, *bellum*
Ludibrium belli; perniciemq́ꝫ ſui.
Bellus at hic quando prodibit in aëra partus?
In dubio res eſt, ſed breue tempus erit;
CRAS, HODIE, AVT NVNQVAM: *ſic cantat teſſera. Numquam*
Dum canit, æternùm teſſera vera canat.

AD GOVDANVM.

OMNIBVS *hoc vitij eſt, patria de ſorte dolere,*
Déque ſuæ ætatis tempore triſte queri.
LAVDAMVS *veteres, præſentes carpimus annos,*
ET *numquam querulis ſat facit ipſe Iouis.*
PAVCI *Democriti, multi ſumus Heracliti;*
SIC *pronum in lacrymas eſt hominum omne genus:*
At mihi Democrito tecum, GOVDANE, *lubeſcit*
Viuere, & in præſens ſpe meliore frui:
Aurea ab integro redeunt nam ſæcula. qui ſic?
Emta Midas auro publica frena regit.

AD STANLÆVM.

SVMME Virum, STANLAEE, tibi dat munera ſumma
Imus homo: at quondam qui tibi primus erat,
Res tua cùm primis colluctaretur & imis;
Nec tibi, qui dextram tenderet, alter erat.
Nec dextram te poſco parem mihi tendere contrà;
Arbitrio ſatis eſt poſſe perire tuo,
Fluctibus Inuidiæ, nigroq; Calumniæ ab æſtu
Iactatum; peream dummodo, Vt antè, tuus;
Nec tua naufragio rapiantur nomina eodem,
Victura in noſtro qualiacumque libro,
PRINCIPIS ALBERTI patrio coniūcta TRIVMPHO
Quod tibi nec BALBVS, nec tribuet PEDIVS.
Ille PLACENTINAS diuendat, & ille MARISCAS,
Non ego, VERONAE cui mage CHIA placet.

VOTVM AD IANI KALENDAS.

ECCE iterum Deus ille, Deus CLVSI atq; PATVLCI
Nomine, quem priſci concelebraſtis aui,
IANVS adeſt, date tura Deo, date florea ſerta,
Et geminum liquido ſpargite odore caput:
Lætus Vt ante nouas confecta pace Kalendas,
Noſtra Oleis Videat rura Virere nouis:
Ipſam Verò Aſiam, Getici fera regna Tyranni,
Vndique ciuili feruere in arma face;
AVSTRIACISQVE Vltro cōuerſam accedere SIGNIS,
Et pia CHTISTIADVM ſacra fidemq; ſequi.
Sic eat, ALBERTO duce, & auſpice DIVA ISABEL-
Sic eat ex Voto, BELGICA læta, tuo: (LA,

Dum poſitis odiis tua tandem tuta frequentent
Opida Pax, pinus cærula, vomer agrum.

Ad Illuſtrem
CAROLVM DE LALAING
DOMINVM DE HASSICOVRT.

LALANVM *genus atque*, HOOCHSTRATAE *gloria* GENTIS,
CAROLE, *Belgiaci dexter ocelle ſoli;*
Ipſa cui Bellona animos, cui Cypria frontem,
Mars validum robur, Mulciber arma dedit;
Arma Deo, Regíque tuo, Patriæq́; probata;
Nec minùs Iſmariis arma ea nota feris;
Diluuium mirante Othomanni ſanguinis Iſtro,
Dum pia pro magno Cæſare bella geris:
Accipe (ſed poſito Mauortis fulmine) Apollô
Arbore de geminâ quæ tibi ſerta ſacrat,
Muſarum manibus ſerta interplexa ſororum
Victrici è lauro, Palladiáque olea,
Danubij ad ripas Tiberiſque in margine lecta,
Nec ſatis ad laudes credidit illa tuas:
Altera Idumeæ tibi ſeruat in aggere ripæ,
Submittet palmas cùm tibi Melo ſuas.
EST *aliquid duplici meruiſſe è fronde coronam,*
Neſcio quid maius tertia laudis habet.
VNA TRIAS DEVS EST: SIMVL OMNIA, QVI TRIA, DICIT:
Quantus eris, Victor cùm tria ſerta feres!
Nec dubito, illa feres: ſiquidem LALANIA VIRTVS
Non niſi DIS *ipſis proxima ſtare ſolet.*

Ad Illuſtrem

ROBERTVM DE LIGNE ARENBERGIVM

DOMINVM DE BARBANCON.

CELSA *petunt* AQVILAE, CELSOQVE CACVMINE MONTES
CELSA *petunt*, CELSE LIGNEA TELA *volant*:
Celſius excellens LIGNE-ARENBERGIVS *Heros,*
Miſsile quàm Lignum, Mons, Aquila, aſtra ſubit.

IN SYMBOLVM

Fortiſsimi Ducis

NICOLAI DE BIECHE

Fata viam inuenient.

INVENERE *viam tua*, BICHI, *proſpera* FATA,
Quæ tibi præclarum ſtrauit honoris iter.
INVENIENT *tua fata* VIAM, *quâ templa Deorum*
Clarior in niueis victor adibis equis,
Tunc, vbi Flandrorum defenſis fortiter agris,
Qualibet è quercu debita ſerta feres;
Et Neuſam Axellámque tuas ante-ire quadrigas,
Hoſtibus eiectis, VVaſia cernet ouans.
O! *tunc quantus honos, te gloria quanta ſequetur,*
Cùm tibi noſtra canent Opida, VICTOR AVE,
VICTOR AVE, BELLATOR AVE! *ſimul ictus ad aram*
Victima DIS *taurus ſanguinolenta cadet.*

O *mihi,*

O mihi, DI *ſuperi,ſemel hanc date viuere lucem;*
O ego tunc quantus,qualia,qu ant a canam!
Tu porrò interea tantis te accinge triumphis,
INVENIENT *aliquam* FATA *Deuſq́ue* VIAM.

In aduentum Sereniſſimi

PRINCIPIS ALBERTI IN VRBEM SVAM GANDAVVM VI. IVNI M.DCII.

QVID *rear,* AVSTRIACO *Gandam ſubeunte, repentè*
Imbribus inſolitis omne madere ſolum?
Quid rear emiſſos cœlum percurrere Cauros?
Anne hæc augurij non bona ſigna noui?
Non ita,ſed qualis dudum viduata cupito
Mater amans nato,nupta pudica viro;
Illis mox coràm in dulces fluit vtraq́ue fletus,
Et deſideriis ingemit icta piis:
Tale ſolum cœlumq́ue ſuos teſtantur amores;
Mitibus hoc auris,dulcibus illud aquis.

IN SCITAS ET CITAS BATAVORVM LITTERAS AD BELGICÆ ORDINES EXARATAS.

BELGARVM *ſummis de rebus, Principe bello;*
De Pace,atque ipſa relligione, CITO,
SCITA CITO, *tua* CATTE, CITO *noua littera venit,*
Tam CITO,*quam ſubiti fulminis aura venit;*
Tela,faces,cædémque piis cita littera ſpirans,
Ni CITO *ſe dedat Belgica tota tibi.*

Tam cito, tam calidè qui tanta negotia tractas,
Turgide Catte cito detumiture cito;
Dic, rogo, quid facies, ſi quando Iocalia ſcribes?
Tunc grauis & lentus nempe ſophus ſapies.

IN EOSDEM
OCCVPATA GRAVIA.

AMISSA *Grauia quid mœſta* BRABANTIA *plangis*
Tu quoque quid tantum Victor ouas Batave?
Hac tua, ſi neſcis, pariet tibi Palma Cupreſſum;
Nec laurum, at taxum prodigioſa dabit.
Veniſti ad ſummũ, GRAVIAE FERALE TROPAEVM
In tua te poſthac ire ſepulchra iubet.

DE STATV PATRIÆ.

O PATRIAE *ſtatus infelix! ô lubrica Martis*
Alea! & inſtabiles rerum hominumq́ vices!
Qui media nuper Thetidis vix tutus in aluo
GEVSIVS *Heſperiis nil niſi ludus erat;*
Nunc nunc ille ferox (ô noſtrum dedecus ingens!)
Claſſe nouâ Flandrûm territat omne ſolum,
Victoremq́ vltro manifeſto Marte laceſſit
Victus, & in Patrios ſuſcitat arma Deos:
Verum illi auerſi iamdudum, ob crimina noſtra,
Nos ſimul alterna clade perire volunt.

De eodem in Anglos et Batauos.

QVID mæres, Patriaq́; gemis, mens anxia, fatum?
Parce; fugit ſurdos vana querela Deos.
Exceſſere adytis omnes, & ſola relicta
Roditur infeſto BELGICA *præda lupo.*
Rode Britanne vorax, & rode Bataue Lycaon,
Sentiat vt fati tædia ſumma ſui,
Quæ modò ceu Tytij iecur immedicabile numquam
Deperit, æternâ vt morte perire queat.
At ne roſa, caue, rodentem mordeat vltro;
A ROSIS *dentes nam ſupereſſe ſolent.*

Ad Sereniſs. Principem ALBERTVM AVSTRIVM.

ALBERTE, *inuito diu regnature Batauo,*
More ſuo quamuis fors hera ludat atrox;
Nunc tibi, nunc hoſti non vno proſpera curſu,
Semper vt inſtabili vertitur illa rotâ:
Sed tandem ceſſura tuis, cœlo auſpice, ſignis.
Sic Superûm cultus, ſic pia cauſſa iubet,
Pondere fulta ſuo, Regiſque potentiâ Iberi,
Et populi obſequio ſubſidioque tui.
Dummodo Militiæ ratio ſit, & æqua Tributi,
Quâ ſine Belgarum res labefacta iacet,
Defectum veluti ſine neruo & ſanguine corpus.
Tu caput & Princeps, nos tua Membra ſumus.
Parce tuis Membris, ne turpibus hauſta rapinis
Deficiant ſolito fonte ſcatere tibi.

Corrige Militiam, ruptis ne deuia habenis
Turbet, & infida ſeditione ruat.
His ita, fide Deo, Belgiſque fidelibus vſus,
I bone, & in Batauo fige tropæa Solo.

Ad Illuſtrem

IACOBVM-PHILIPPVM DE VILAIN.
ISEGHEMII COMITEM.

PRIMA *ſcripte mihi, ſummâ ſcribende Camœnâ,*
DOCTE COMES, *libri claudis vtrumque latus.*
PRIMA, *pijs animis, & ſumma tenacius hærent,*
Sic mihi tu primus, ſummus, & imus eris.

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS EPIGRAMMATVM LIBER II.

Qui ferè alluſionum.

Ad Nobil. Virum

IOANNEM DRENC-VVAIRTVM EQVITEM

DORMALIÆ TOPARCHAM à Theſauris Financiarum Belgicę.

MAXIME *vir, magnis opibus præfecte tuendis,*
Belgica quas laſſo parturit ægra ſinu;
Pieridum DRENCVVAIRTE *decus, quo nemo leuauit*
Largiùs ardentem Caſtalio amne ſitim:
Si vacat in tantis rerum, quas digeris, vndis
Theſpia vel ſummo tangere rura pede,
Et legere exiles geniali in litore conchas,
Noto olim exemplo, Scipio magne, tuo;

Huc ades, & Latiis prouecta Epigrammata ripis
Noſtra, velut conchas, munera parua cape.
Oſtrea dent alij maiore fluentia ſucco,
Noſtra breui placeat dum tibi concha ſale.
Et quid ni placeat breuitatis nomine, ſi qua
Longa nimis, magnis tædia lenta cient?

AD IOANNEM RICHARDOTVM EQVITEM AVRATVM A CONCILIO STATVS BELGICÆ Sanctioris Concilij Præſidem.

RICHARDOTE, *graui cui læta modeſtia vultu,*
Fronte honor, & comi regnat in ore lepor;
Maieſtas veneranda oculis, Pitho aurea labris,
Conſilium prudens pectore, mente Themis;
Munere quo cæli, quo Diuûm munere credam
Affluxiſſe vni dona tot aucta tibi?
Tot bona virtutum, tot ſplendida lumina honorum,
Tot quoque Fortunæ luxuriantis opes?
An Pandora parens, tuus an pater ille Prometheus,
Hæc ea contulerint prodigi vterque tibi?
Non ita. nam fallax Pandora, leuíſque Prometheus,
Nil homini ſolidum perpetuare ſolent.
At tua perpetuo virtus velut eminet aſtro,
Splendet & à radio clarior vſque nouo.
Quare ego te genitum Virtute & Honore putarim,
Et nihil à terrâ ſeminij eſſe tibi.

Hæc

Hoc certè decor ille tua & ver dulce ſenecta,
Hoc probat in canis Gratia ſparſa genis.
Hac ego te Peliam, aut Pylium reor eſſe triſaclem,
Semideumq́ virum, ſemiuirumq́ Deum.

AD
CHRISTOPHORVM AB ASSONVILLA
DOMINVM ALTÆ-VILLÆ
A Concilio Status & Priuato.

NON *mea,* DASSONVILLE, *tuo diffiſa fauori*
Expertam toties Muſa requirit opem.
Abſit. at illa velut cæleſtia numina Diuûm
Semper & aßidua ſunt adeunda prece:
Sic ego, quem dominum mihi ſors, mens finxit amicum,
Pauca φίλος *dominum, te rogo pauca* φίλον.
Quidnam? ais. en, ſupplex loquitur meus illa libellus,
Tu tantum alloquio ſupplicis adde fidem.
Sic votis Deus vſque tuis adſpiret, & vni:
Verborum & rerum ſit tibi prima fides.

AD
LVDOVICVM VEREYKEN
EQVITEM
Audientiarium.

SACRA *Ioui* QVERCVS, *latißima glandibus arbor,*
Orbe recèns nato patribus eſca fuit.

Balſama tunc QVERCVS, *tunc* QVERCVS *roſcida mella,*
Eque ſuâ ambroſiam cortice ſæta dabat.
Nec minùs illa dabat reſponſa arcana Deorum,
Chaoniáſque ſua fronte tegebat aues.
Marcida tunc laurus, contemtaq́ palma iacebat,
Solaq́ de QVERCV *grata corona fuit.*
Tunc Boreæ immunis, tunc neſcia fulguris atri
Securum cœlo ſuſtulit illa caput.
Tunc illam ſertíſque nouis, plexiſq́ corollis,
Percoluit Pietas relligioſa Patrum;
Tortilibuſq́ hederis ſpiríſque induxit amorum,
Vellere quas vnquam non queat vlla dies.
Belgiadum populo tu QVERCVS *es illa,* VEREYKEN:
Illa hederæ exiles, nos tua turba ſumus.
Tu cœlo caput, & latè tua brachia terræ
Auxiliatricis prodiga tendis opis.
Tu mera mella labris, tu cynnama pectore promis;
Balſama tu calamo lene fluente feris.
Tu potes infeſtos Regum componere motus,
Tu Gallum atque Aquilas conciliare potes.
Tu potes è medijs producere Lilia ſpinis,
Tu potes optata nectere pacis opus.
Quare etiam Proceres, & vulgus, & omnis vbique
Ordo tuum latè nomen ad aſtra vehit.
Nec iam Tyndaridas magis omnis Achaïa, quàm te
Belgica, & Heſperia, & Gallia tota probant.
Eſt aliquid, regno prodeſſe ſalubriter vni;
Maior honos regnis conſuluiſſe tribus.
Hoc porrò eſſe tuum, nulla vnquam non ſciet ætas,
O decus, ô Patriæ cura ſalusq́ tua.

Ergo

Ergo abeant Abies, & Fraxinus, & Cypariſſus,
Et Platani, & Pinus, & Tilia, & Salices.
EN *redit ad priſcos tandem bona* QVERCVS *honores,*
Melláque pacato ſtillat in Orbe noua.
Flaua Ceres ſpicas, proles Semeleia vites,
Illi oleas debet culta Minerua ſuas;
Muſa hederas, Phœbus laurum, fuluum Tagus aurum,
Lilia Arar, quercum Somona, Scalda animum.
Vnicus ille ſatisfaciat tibi, magne VEREYKEN,
Aptior ad QVERCVM *nulla corolla tuam.*
Non ſi vel gemmâ, vel puro conſtet ab auro,
Quæ datur ex animo prima corona datur.

AD
FERDINANDVM VARRANNEMAN A CONcilio ſanctiori.

AVERSVM *Muſis nomen; ſed, quod decet, æquum*
In Muſas animum DI *tribuêre tibi.*
Illo iam teneris Phœbum complexus ab annis,
Per Sophiæ & Iuſtæ ſacra verenda Deæ,
Tamquam per geminas iuiſti ad ſidera ſcalas,
Et factus Patriæ ſidus es ipſe tuæ;
Illi altè adſcriptus, quo pendet Belgica, cælo.
Felix qui ſuperes viuus, & aſtra tenes.
Poſt obitum paucos extollit ad æthera virtus,
Ante obitum claro te locat illa polo.

AD

AD FERDINANDVM DE SALINAS EIVSDEM Concilij.

ANTE *alios opto tibi poſſe placere,* SALINA:
Ante alios dulci quòd tua terſa Sale
Mens ſit, & inſperſo lotum bene, pectus aceto.
Quæ duo quam raris ſint data dona viris,
Iudicij eſt rari decernere. cur? quia vulgus
Mel fatuum ſapido præ Sale pluris habet.

AD GVILIELMVM ENGHIENIVM EQVITEM Sanctiori Concilio à Secretis.

ENGHIENI, *arcanis ſibi quem delegit ab actis,*
Et meritò, ille ingens Concilij ordo ſacri;
Si potes ex alto Scribam adſpexiſſe minorem,
Et vatem & Scribam diſpice, quæſo, tuum.
Quique ſui dudum te ſcripſit cordis in albo,
Non calamo, aut fluxis rore nigrante notis;
Sanguine ſed puro, ſolidóque admante; vicißim,
Si vacat, in paucis hunc quoque ſcribe tuis.
Sic erit, ex vero, Scribæ dicamur vt ambo,
Audiat & titulo dignus vterque ſuo:
Sed tu, ceu Princeps in principe claſſe Deorum;
Verùm ego deſpectus vltimus in Satyris.

AD

BLASIVM HVETTERVM SERENISS. PRINCIPI ALBERTO A Cubiculo & Secretis.

VILIVS hic nihil eſt, nihil eſt præclarius illis,
Quàm qui ſe Gnidij Vomeris arte probant.
Quilibet hunc dextra contingere gaudet, & audet
Niliacam preſſo nympham inarare ſtylo.
Inficiunt, interficiunt miſeram propè cuncti;
Qui colat, aut poliat, rarus in orbe colit:
Immo adeò nullus, niſi tu, BLASI, propè ſolus,
O germana tui menſq; manúſque DVCIS.
Scilicet Vt Phœnix, Volucrum rariſſimus, Vnus
Ipſe ſibi pennis ſtat ſuper Vſque nouis:
Sic obitum poſt ipſe tuum rediuiuus, ab arte.
Clareſces calami poſthumus Vſque tui.

AD

IOANNEM DE BOOT Concilij Financiarum Graphiarium.

QVI CYMBAM pelago primus commiſit & Euro,
Et pelago atque Euro durior ille fuit.
Nec minùs ille ſuæ contemtim prodigus auræ,
Aulæ anceps dubiæ qui mare primus iniit:
Hîc Vbi tot queruli certant Aquilonibus Auſtri,
Hîc Vbi tot Syrtes & Vada cæca latent.
Et tamen auſus eram ſpe famæ, & laudis amore,
Nuper ego hoc tantum ſolicitare mare.

Inui-

Inuitat tremulo trepidantem marmore Nereus,
Et iam plena Noto carbaſa paſſa tument:
Cùm ſubitò in rigidas fertur ratis incita cauteis,
Et lacerum fluctu pandit hiulca latus.
Deſerit aduerſis luctantem Phœbus in vndis,
Territa ventorum murmure Muſa fugit.
Nequidquam geminos præſenti in morte Lacones,
Omnia nequidquam numina ſurda voco.
Sola tui, BOOTI, *mihi gratia & aura fauoris,*
Sola mihi auxilij cymba relicta tui.
Quâ niſi me eripias, rapient me immania cete,
Hei! nimiùm ſæuæ, fauce inhiante, feræ.
Sed, precor, eripias tibi ſic ſeruatus Arion
Dicar ego, at Delphin tu mihi ſemper eris.

AD PAVLVM CROONENDALIVM.

IVPPITER *edoctus nil eſſe potentius auro,*
Formoſam Danaen aureus imber init.
Illi non acies auro, non inuia turris,
Non æs, non duro ſepta adamante foris.
Omnia perrumpit rutili vigor igneus auri,
Clauſtra, domos, arces, templa, & vtrumque polum.
Memnonis effigies oracula nulla referre,
Aurea præradiet ni priùs aura, ſolet.
Nec rhetor cauſſam, niſi ſpes affulſerit auri,
Nec famulus miſeri iuſſa capeſſet heri.

Auro cuncta patent, auro latè omnia parent,
Quæ vel apud Manes, quæ vel apud Superos.
Aurum quiſquis habet, ſecurâ nauiget aurâ,
Ludat, amet, potet, quâ volet aure cubet.
Cuncta Midas optet, nil non optabile, nomen,
CROONENDALE, *tuum dum ferat, ille feret.*

Ad Illuſtrem Virum.

NICOLAVM MONTMORANTYVM EQVITEM DOMINVM DE VENDEGIES.

MAGNE *here*, VENDEGIE, *bonis bone patribus orte,*
Sed poßis patribus qui pater eſſe tuis;
Antiqua pietate, nouo & virtutis honore:
Quæ duo ſic in te ſidera iuncta nitent,
Gnoßias vt cælo non purius ardeat aſtrum,
Non Venus, aut fratrum tæda gemella duûm:
Adſpice, ſed nimij fulgoris luce remiſſâ,
Noſtra tibi ſacrat quod rude Muſa chaos,
Eminus auſa tuum pudibunda accedere Solem,
Hauriat vt radij particulam inde tui;
Et velut à Phœbi clareſcit lampade Phœbe,
Sic iubar à cælo mutuet illa tuo.
Hoc ſit, & interdiu dum tu, Sol clare, coruſcas,
Noſtra ſine vt noctu fax aliquanta micet.

AD

ADRIANVM BETTE EQVITEM FONTANÆ DOMINVM.

EST tibi, ſitq́; precor, multos, Vir magne, per annos
Nomen, & antiqua ſtemma celebre domus.
BETTE olim hoc priſci, breuius BETHS noſtra ꝙ aiunt
Sæcula: decreuit ſyllaba, creuit honos.
Creuit honos, creuere & opes: atque omnibus vnus
Tu bene cùm facias, BETTEq́; BETHSq́; ſonas
Eſt tibi, ſitq́; diu, multos rus nobile in annos,
Conueniens fontis nomen & omen habens.
Aeternas iaculatur aquas fons vbere venâ,
Et tua fons dici dextera larga queat.
Sunt tibi, ſuntq́; tuis fulcimina terna, vetuſta
Arma domus, animi ſymbola vera tui.
Templa Deûm, atque inopes, Chriſti pia viſcera, teſtes,
Quorum ſubſidio fulta ruina tuo.
Eſt tibi, ſitq́; diu, claro de ſtemmate coniux,
Et res, & proles, & ſine lite domus.
Felix his opibus, felix ſimul arte fruendi:
Quam niſi diues habet, nil miſer Irus habet.

AD
MAXÆMILIANVM A WOSTYNA
EQVITEM.
BESELARIVM.

PVLCHRA *homini virtus, claro de ſanguine naſci;*
Eſt ad virtutem nempe ea recta via.
At non hac geniti, ſed laus genitoris, in ipſam
Spargentis ſobolem ſemina certa ſui.
Sic in equis, ſic in tauris patrum inſita vis eſt:
Nec Iouis armigerum lenta columba refert.
Fortunæ arbitrio, non voto naſcimur: omnes
Nam naſci Reges ſe patre Rege velint.
Ortus ergo ſuos quiſquis leuat altiùs æquo,
Alterius meritum, nil probat ille ſuum.
Ille ſed egregios virtute æquare parentes
Qui ſtudet, aut pennis altiùs ire ſuis;
Ille Aquila, ille ſui merito graſſatur honoris,
Siue ſago, melior ſeu cluat ille togâ,
Siue ab vtroque potens geminis ſe ſurrigit alis.
Ardua, ſed raro laus data rara viro.
At laus iſta tua eſt, WOSTYNI *ô ſanguinis heres*
Digne tuis proauis, nomine digne tuo,
MAXIME, *nec tantùm, ſed* MAXIME & ÆMILIANE
Includens pariter nomina bina virûm,
Non humili de gente virûm, nec de grege vulgi,
Sed quos mirata eſt inclyta Roma Duces,
Conſilio illuſtres, partiſque à Marte triumphis,
Non ſibi, ſed Patriæ pectora nata ſuæ:

Quæ-

Qualis & ipſe patrum veſtigia priſca ſecutus,
Aurea te duplici tollis ad aſtra via,
Pacis & armorum; ſed fortior, aptior armis,
Intima cùm regeret fortior oſſa calor.
Tunc te, pro merito, rex baltheo adauxit equeſtri,
Virtuti referens præmia digna tuæ.
At nunc bruma niues capiti dum'ſpargit honeſto,
Compoſitis ſtudijs otia docta colis,
Deditus Hiſtoriæ, vel amœnis deditus hortis,
Nec minùs ad turmas excubiáſque bonus:
Quarum præcipuè ratio tibi creditur vni,
Hîc vbi non vno Patria ab hoſte timet.
Hæc tua nobilitas, hæc eſt tua propria virtus:
Cetera ſunt gentis, MAXMILIANE, *tuæ.*

AD
HENRICVM DOVLTREMANNVM
Vrbis Valentianæ Expræfectum.

QVis, *precor, ille virûm, geminis ſuper Aethera pennis*
Limite ab Hannonio qui leue ſulcat iter?
Alter an Inachides, an Dædalus aduolat alter?
Vnus an huc reuehit ales vtrumque virum?
O ita. Sic liquidum concentibus aëra aëdon
Mulcet, & inſolito carmine plaudit olor.
Sic nemora, & fontes, ſic lætior vnda ſuſurrat,
HENRICVMq́ *noui murmuris aura ſtrepit.*

HEN-

HENRICVM *ingeminans latè ſonat Hannon & Aon,*
Hannon ut addubites Aon an ille ſiet.
HENRICVM *gemino patria effert flumine Vallis,*
Vnde Valens, ſitiens Brennus & antè bibit.
Captus uterque loci genio, ingenioq; coloni,
Haſit, & hæc Vallis tempore creſcet, ait.
Creuit, & ex humili, caput inter ſidera condens,
Pene ſui inuidiam Montibus illa facit.
Iamq; premant, penitusq; premant, ni Perſei ad-inſtar
Aemulum in Atlantem pro Patriâ arma gerat:
Emeritus Phœbi miles, Vallisq; parenti,
Ille ſua ut Perſeus Andromedæ, addat opem.
Vincit, & ingenij quam texerat Aegide Nympham,
Tutandam Auſtriacis conſecrat inde Deis:
Inſtituitq; nouum, Patriâ exſultante, triumphum.
Mirantur Proceres, liuor & ipſe ſtupet
Dædaleas operas, HENRICI *Dia reperta,*
Materiemq; arti cedere fama canit.
Vera canit, Muſæ teſtantur, & omnia fidis
Cuſtodita libris perpetua eſſe iubent.

AD

FRANCISCVM MARCHANTIVM I. F. IVRISCONſultum.

MARCHANTI, *cui diua Themis cum lacte tenello*
Vbere Ius geminum ſugere utroque dedit;
Nec minus omnigenis doctrinæ mercibus auctum
Ipſa ſuâ expoliit Gratia terſa manu;

Si

Si tibi quæ fauit Dea, ſit Ioue nata parente,
Et mihi quæ fauit ſi Ioue nata Dea eſt,
Siq; adeò & Diuis atque artibus Vna catena eſt,
Nexilibus ſpiris quam pius arctat amor;
An mirum eſt, nexu ſi nos quoque Vinxit amico
Aequa tibi Themis, & Pieris æqua mihi?
Non ita quin nexu qui nos ſemel auſpice Vinxit,
Duret, & inuitâ morte perennet amor.

AD
GVILIELMVM COORENHVSIVM CONSILIARIVM.

EST *tibi, ſi quid habent in ſe tua nomina Veri,*
COORENHVSE, *graui non ſine farre domus:*
Eſt Ceres, eſt tibi Lar; Deus hic, Dea & Vtilis illa,
Aedibus ille ſuis, frugibus illa ſuis.
Fortunate ſenex, Cerere, & Lare diues inempto,
Diues & ingenij fertilitate boni.
Dextera Amalthea, & diffuſi copia cornu,
Anne tibi Vberius quid tribuiſſe queant?
Cetera Vix Vnum commendat nomina numen,
Concedunt Vni numina bina tibi.

AD
PETRVM STEELANDVM.

SI *cui Petra ſuos tribuit præſtantior ortus,*
Inſtaurante hominum Deucalione genus;

Na

Na tu, PETRE, *bona creuiſti à ſemine Petra,*
Et tibi vere adamas maſcula corda dedit,
Inuictus purusq; adamas, tu ſordis vt omnis
Purus, & integro clarus honore nites,
Aurea gemma ſori, rigidiq; topazius æqui,
Et Lydius Legum Iuſtitiæq; lapis.

AD

FRANCISCVM ROSIVM Conſiliarium.

QVALIS *in exculto* ROSA *formoſiſſima agello,*
Surgit odorato conſpicienda ſinu;
Ruris honos, hortique decus, noua gloria Veris,
Cuius purpureas ſpina tuetur opes:
Tale decus, talem Famæ melioris odorem
Suauius exhalas, ô generoſe ROSI.

AD

MARCVM HERTOGHIVM conſiliarium.

AFFECTENT *alij titulóſque & nomina honorum,*
Naſcentem voluit te Deus eſſe DVCEM.

AD

AD

IOANNEM TORRIVM Conſiliarium.

DICERIS & *nugas aliquid tu,* TORRE, *putare*
Eſſe meas; iam ſum nil niſi faſtus ego.
Quidquid id eſt igitur tibi dedico, TORRE, *libelli,*
Seu Muſa, aut nugæ, ſeu penitus nihil eſt.
Quidquid id eſt tandem, noſtri tibi certus amoris
TORRIS, *vt è celsâ* TVRRE *videndus eat.*
Prauiuss è TVRRI *ſic* TORRIS *fulſit amanti,*
Torruit in mediis quem ſuus ardor aquis.
Tu quoque, TORRE, *mihi timidè maria alta natanti*
Certior Oebalio ſidere TORRIS *ades.*
Sic mihi perpetuus fueris tu TORRIS *amoris,*
Mutuus & TORRI *ſim tibi* TORRIS *ego.*

AD

SCREVELIVM DRIELIVM Conſiliarium.

DRIELI, *quem placido naſcentem lumine vidit*
Phœbus, & Ambroſiâ caluit pauit Amor,
Eloquijq́ decus, formaq́ inſignis acumen,
Et Dea pulchra Venus, & Dea Suada dedit;
Impius & totum fuerim ſine pectore corpus,
Te niſi tot mactum dotibus æquus amem.
Is Magnes virtutis, & illex nodus honeſti,
Quemlibet vt facili ducat amore ſui.

Hinc

Hinc me, neſcio quis, tibi ſic ferruminat ardor,
Et nouus occulto glutine vincit amor;
Poſſit vt hic animus priùs hoſpite corpore ſolui,
Ipſius & penitus dememiniſſe ſui,
Quàm mihi ſit cari diuelli ab amore SCREVELI,
Quàm mihi ſit DRIELI *luce carere mei.*
Néue putes falli, carmen cape, quo mihi nullum
Sanctius æternæ pignus amicitiæ.
Hoc tibi habe; & credas quæ chartæ illeuimus albo,
Hæc eadem meliùs pectore ſcripta meo.

AD

MALIARDVM VVLDERIVM, FISCI PATRONVM.

IVRIS *& æquarum tibi plena ſcientia Legum,*
Plena tibi eloquij flumina ab ore cadunt.
Ingenium, os, pectus, tibi ſunt Iouis omnia plena.
A pleno meritò, VVLDERE, *nomen habes.*

AD

ANTONIVM SCHOORMANNVM, PROCVRATOREM generalem Fland.

COEPISTI *iuuenis, ſenior quò vix bene quiſquam*
Pertigit: heus, ſenior, dic mihi, quantus eris?

AD

DIONYSIVM HARDVYNIVM, I.V. D.

ARTIBVS HARDVYNIVS *cùm ſemper ad Ardua tendat,*
HARDVYNII *meritò nobile nomen habet.*

AD

LVDOVICVM ET GERARDVM BLASERIOS FRATRES.

FLAMINIOS, *genus antiquæ prænobile Romæ,*
Interitu Romæ qui periiſſe putat;
Fallitur, ad Flandros manauit gloria gentis,
Poſtuma in affini nomine BLASERII.

AD

IACOBVM COVDENHOVIVM.

VLTIMA, COVDENHOVE, *tui pars nominis aulam*
Indicat. ô quantum conuenit illa tibi!
Aula domus procerum, Diuûm domus aula, Tonantis
Aula domus. gemina Palladis aula domus,
Aula domus Charitum, Veneris domus aula, Volantis
Aula domus pueri, Mercurij aula domus.
COVDENHOVE, *tui regnant quoque pectoris aula,*
Mercurius, Pallas, Gratia, Cypris, Amor.

AD

AD
PHILIPPVM RODOVANVM
EQVITEM BERLEGHEMIVM.

ANNE tuos faſces celebrem magis, ánne ſecures,
Fluctuat ancipiti mens, RODOVANE, *nota.*
Magna Senatorem commendat gratia, magnum
Te quoque Prætorem non minor ambit honor.
Hæc duo qui iuuenis tantâ cum laude capeſſis,
Munera quæ ſenior non potiora geres?

AD
FRANCISCVM RYMIVM
HVNDELGHEMIVM.

DONABVNT *alij Plutum, Cererem, vel Iacchum,*
Ampla quidem, at meritis dona minora tuis.
Munera nos contra dabimus tibi chartea, RYMI;
Munera vel ternos vincere digna Deos.
Quid Ceres & Bacchus, niſi fluxa alimenta caduci
Corporis? æs fului quid niſi maſſa luti?
At doctis inarata notis, animatáque viuo
Carmine inexſtincto nomine charta viget.
Hoc igitur chartæ fruſtum breue, ſed bene longum,
HVNDELGHEME, *mei pignus amoris habe.*

AD

FRANCISCVM NORMANNIVM ALDEGONDÆVM Cognatum.

NON *tibi*, NORMANI, *tribuit* NORMANDIA *nomen*,
Sed melior vita qua tibi NORMA *placet.*

AD

MICHAELEM SECLYNIVM.

DVM *fortè Oceani Neptunus vaſta profundi*
Sulcat,& æquorea murmura mulcet aqua;
Pulcher vbi Friſios diſtinguit Anſius agros,
Quaq; fluis geminâ, Rhene ſequeſter, aquâ:
Vidit,& obſtupuit poſitas in litore moles,
Longáque Verdugo caſtra locata Duce.
Mox propior factus, rutilis SECLYNIVM *in armis*
Vidit vt extenſâ ſigna rotare manu;
Signa Philippæo titulo & Iouis alite nota,
Ventilat Æolij quæ leuis aura Noti:
Macte, ait, audaci, Iuuenis fortiſſime, dextrâ,
Macte potens terrâ & tendere ſigna mari,
Illa ego porro vltra, duce te, mox ſurgere cernam,
Hic vbi non vltrà quò mare tendat habet.

AD

AD

SERVATIVM STEELANDVM, QVÆSTOREM.

SERVATI, cui ſeruandos dat Flandria nummos,
Regiaque in fido collocat æra ſinu:
Ecquid ego accepto tibi creditor ære rependam?
Æra, ſpei cuius vix mihi mica fuit.
Tam mihi res inopina tuum æs. quæ cauſſa? rogabis:
Dixero. cum magno res mihi Rege fuit.
Quid tum? ſi magnus, magni eſt vis maxima Regis,
Fundit ei æternas vena perennis opes,
Debitor haud cedet. ſic tu. Res eſt bona Regis,
Res bona, quis dubitat? ſit modò velle bonum;
Siue tuum potiùs: nec enim Rex adſpicit iſta;
Illius hæc res eſt cognitione minor.
Hac in parte potes tanto plus ipſe Monarchâ,
Vnius arbitrij res ea tota tui eſt.
Ergo mihi quod Rege fuit debente profectum,
Gratia non Regi, ſed datur vna tibi.

DE

IOANNE LAKIO AFFINI MEO.

LIS oritur. meus eſt LAKIVS, Tagus aurifer inquit;
Exclamat contra quem Liger eſſe ſuum;
Nec minùs hunc Scaldis ſibi vindicat æmulus: omnes
Soliciti cauſſa pro ratione ſua.

Scaldis ait genuiſſe virum, Liger excoluiſſe;
Perfeciſſe Tagus omnibus à numeris,
Arbiter ad partes delectus Iuppiter; ohe
Cedite, & hîc omnes perdite, vincite, ait.
Mentem animi Liger; ora viri capiat Tagus; inde
Quod ſupereſt reliqui, Scaldis id omne ferat;
Incolumemq; diu natali in litore ſeruet,
Dum meus ille ſuo à funere totus eat.

AD

NICOLAVM TRIESTIVM AVGHEMIVM, E GALLIA reducem.

ACCVRRENT *alij, facto velut agmine,* TRIESTI,
Gratantes reduci denſa caterua tibi.
Accurrent meritò; nec eos damnauero, dum ſint
Non nimiâ officij ſedulitate graues:
Quare ego, ne laſſam tibi laſſem longior aurem,
Miſſa ſalutatum te mea Muſa venit.
Illa quidem breuior; ſed longa in amore voluntas
Plus importunâ garrulitate valet.

AD

IOANNEM HAPPARDVM.

EST *mihi lis,* HAPPARDE, *diu; piget eſſe, ſed eſt lis*
Difficilis vetulâ cum ſtrige, cumq; lupâ.

Cum

Cum Furiâ, atque ipſâ Furiarum principe, quam non
Nomino; nam nummo eſt notior illa malo:
Inuiſum Muſis caput, atque Harpya neſanda,
Phineo vti miſero qua mihi pectus edit.
Hanc mihi iuſtitia iaculo ciſ-pelle, vel ipſo
Sic Calai & Zethe tu mihi maior eris.

AD

MARGARIDEM STEELANDAM WISSENKERKÆ HEredem.

QVATTVOR *inceſſit quondam lis æmula gemmas:*
Præſidet ad cauſſam gemmea tota Venus,
Ante alias claro ſe laudat ab igne Pyropus;
Contrà Adamas puris vincere certat aquis:
Aëra cæruleum toto explicat ore Saphirus;
At viridem viridi luce Smaragdus humum.
Quattuor vt vidit certare Elementa Dione
Quattuor in gemmis: ite, ait, ite pares;
Ite pares gemmæ: dum vos tamen ante eat omnes
Aurea VVaſiaci Margaris vna ſoli.

AD VTRVMQVE

THEODORVM DE LIEFVELT PATREM ET FILIVM.

MÆREBAT *confecta ſitu, confecta dolore*
Belgica, diuitiis bis viduata ſuis;

Barbarie populante decus ſermonis, agrorum
Dulce ſatum Getico depopulante Deo.
Hem, quid agat? quo ſe ſoletur vindice, cultu
Nuda ſoli, & patrij nuda lepôre ſoni?
Cùm ſubitò, Diuûm dono THEODORVS *vterque*
Formoſum è tenebris explicuere caput:
Iſte togâ, & ſeris genitor venerabilis annis;
Ille ſago, & docto filius ore valens.
Vidit, & amplexata grauem cum prole parentem
Belgica, mox curas iuſſit abire ſuas,
Atque ait: En, campo, fauſtâ alite, prodit amico
Nobile par, priſcas quod mihi reddat opes;
Hic Pacem, decus ille nouum ſermonis auiti:
Adſit vt hic vindex, nec minùs ille meus.
Dixit: & extemplo mihi dextera tinniit auris,
Fallor an oracli verbere tacta fuit?

AD

SERVATIVM STEELANDVM CONSIL. ET QVÆSTOREM Regium.

DAT *mihi, dat quæſtor numos; nŭmeros ego reddo.*
Si pretium ſpectes, debeo iure nihil.
Non ſua, ſed mea dat mihi, cùm SERVATIVS *æs dat:*
Atqui ego cùm dono carmina, tunc mea do.
Nil igitur mihi dat, mihi cùm SERVATIVS *æs dat?*
Nil ſanè, & magnum quid tamen hic mihi dat:
Et quo nil potis eſt maius. Quid? Velle benignum,
Quo ſine vix vnquam ſint mea, quæ mea ſunt.

AD

AD CAROLVM STEELANDVM F.

Carole, præclari ſoboles præclara parentis,
Nobiliter gemmæ ſeminio orte bonæ;
Hos tibi virtutis ſtimulos, præconia ſtirpis
Clara tuæ, VRIENTI *dona fauoris habe.*
Aptius haud aliud ſpeculum mirabere, gentis
Quàm tibi quod propriæ lumina vera refert.
Phryx Paris ad vitreum ſpeculi ſe conſulat orbem:
Virtutis ſpeculum ſit tibi imago patrum.

AD CORNELIVM HERTOGHIVM QVÆSTOREM.

PER *fas per'q; nefas Aeraria publica Cæſar*
Suſtulit, & Patrias vi validâ hauſit opes.
Publica tu contrà ſeruas Aeraria Gandæ:
Cæſare maiorem quis neget eſſe Ducem?

AD PHILIPPVM SECLYNIVM HERPELGHEMIVM.

NE *ſatias blattis, ne penula deſit oliuis,*
Ne ridere tibi deſit, habere mihi;

Do tibi, SECLYNI, *niueum cum carmine munus,*
Deſpumat ripâ Melo quod in Phariâ.
At mihi torpenti glacialis frigore Bruma
Penula ne deſit, Syngrapha noſtra tibi:
Proque meo Verſu, & Melonis paupere nymphâ,
Memnonis auricomi dulce reclude iubar.

AD IOANNEM DAMANTIVM QVÆSTOREM.

MAGNA *mihi de te quondam concepta,* DAMANTI,
Spes fuit, at merito longè ea Victa tuo eſt.
Sumpta dein melior, ſed & hæc quoque Victa repentè eſt:
Omnia Virtuti ſuccubuere tua.
Optima nunc etiam de te ſpes, Quæſtor: at omnis
Spes dubia; hanc certam quin facis eſſe fidem?
Certa fides fuerit, Velut ex adamante, DAMANTI,
Si mihi ſpem Voti ſolueris ære mei.
Spes alit agricolam tunc, cùm ſua meſſis in herba eſt:
Lecta ſeges certam ſpem facit eſſe fidem.

AD IODOCVM ZOETIVM QVÆSTOREM.

DVLCE *tibi ingenium,* ZOETI, *tibi gratia linguæ*
Dulcis, opes dulces, dulce ſupercilium.

Res tibi tot dulces nomen cùm dulce dederunt,
Nulla, precor, vita pars ſit amara tua.

AD
PETRVM WYNCKELMANNVM QVÆSTOREM.

IRRIGVOS *latices ſolida de corpore Petra*
Emanaſſe olim Pagina ſacra docet.
Credo ego, WYNCKELMANNE; *tua quia viſcere Petra*
Aurea profluxit non ſemel vnda mihi.

AD
PETRVM ZEGHERIVM GANDAVI SENATOREM.

MERCVRIVS *merces, placidos Dea Gratia mores,*
Pignora dat coniux, dat tibi Ganda decus,
Nomen fama bonum; reſtat modò, PETRE ZEGHERI,
Recta ſed ad Superos ſera adeunda via.

AD
IACOBVM DELVALIVM.

NIL *ſummum ſtetit vſque diu: quem ſuſtulit altè,*
Hunc hera Fors lapſu mox grauiore premit.
Fulmine non ſalices, ſed vapulat ardua quercus:
Vallibus intactis culmina ſumma luunt.

Valle boues meliùs ſcabris quàm montibus errant:
Imminet ex alto prona ruina iugo.
DELVALI *ergo ſapis, tacita qui valle quietus*
Rex tuus ipſe tibi viuis, & alta fugis.

AD
FRANCISCVM DE VILAIN.

VILIA *ament viles; nomen tibi vile, ſed alto*
Arduus ingenio vilia probra fugis.
Quemlibet ergo altum vilis nota tangat & angat,
Dum tibi ſit laudi nobile-vile genus.

AD
IACOBVM BORLVVT SCHOONBERGHÆ DOMINVM.

GERYONEM *tenuiſſe refert tria corpora fama,*
Et totidem Calabro corda fuiſſe ſeni.
Cur ita? quòd regnis tribus hic præſedit, at ille
Quòd poterat fando tres variare ſonos.
Tu quoque tres Spartas cùm non ſine laude capeſſas,
Et pariter Prætor, Dúxque, Quiriſque cluas;
Ac totidem linguas tua Peitho ediſſeret, ore
A Patrio, heredi iure relicta tibi,
In te, BORLVVTI, *fato meliore renatum*
Quis veterem Calabrum Geryonemq; neget?

AD NICOLAVM TRIESTIVM AVGHEMIVM.

STEMMATE, *diuitijs, doctrinâ excellere, dos eſt*
Rara, ſed eſt, Trieſti, dos ea priua tua.
Vna pari faciat te dote puella maritum,
Vna pari faciat prole puella patrem.
Omnibus à numeris ſic, Trieſti, viue beatus,
Stemmate, diuitijs, coniuge, prole, libris.

AD PETRVM SECLYNVM, ET IACOBVM DIERKENS VTRVMque militiæ Gandenſis Tribunum.

QVAE *quondam armorum ſimul & concordia amorum*
Inq; Menœtiade Aeacidéque fuit;
Illa tot à ſaclis nunc cernitur eſſe renata
Corde tuo, DIERKENS, *corde,* SECLYNE, *tuo.*
Par labor eſt Martis, par ſtips, par gratia, & ætas:
Duret, & hoc ætas non terat vlla iugum.

AD DRVZVM.

MVLTVM, DRVZE, *tibi tribuit fortuna licere,*
At ratio ipſa tibi pauca lubere velit.

Non

Non tibi, ſed populo viuas magè commodus, aquus
Omnibus, haud vlli bile tumente grauis.
Muſca procul ſtabulétque tuo de limine vultur,
Quidquid & aucupium nare ſagace facit
Plebis in exuuiis. male ſede morantur in vna
Splendida nobilitas, ſordidaq; vtilitas.
Nobilitas cœlo datur, imperijq; poteſtas:
Turpe ſit, hanc vili commaculare luto.
Turpe lutum vilis quæſita occaſio lucri,
Semper & is quæſtum quæſtus habere ſolet.
Caro emitur, cara quod habet diſpendia famæ.
Vtile quidquid olet, non bene ſemper olet.

AD
IOANNEM MANDERIVM PRIMARIVM GANDAVI SYNdicum.

CVM *quot Curia habet, tot & ipſe negotia tractes,*
Et circa inſanum te ſtrepat omne forum;
Et lis perpetuùm noua, ceu noua pullulet hydra;
Inſtet & hinc actor, nec minùs inde reus:
Miror ego grauium tot rerum pondere preſſo,
MANDERE, *mandendi ſidatur hora tibi.*

AD
GVILIELMVM DE GROOTE ALTERVM GANDAVI SYNdicum.

PVBLICA *Sparta tuis incumbit,* GROOTE, *lacertis;*
Grande onus: at grandem nil niſi grande decet.

IN

IN NIHIL

AD IV. MEMBRA FLANDRIÆ.

NIL *non, nilq́; mihi reſcribunt* MEMBRA *roganti:*
Nil non iure meum, nilq́; rigore meum.
Ergo quid? an gratus pro nil ego dixero grates?
Et qui nil capio, nil quoque reddidero?
Iure. ſed eſt aliquid tamen hoc nil; & nihil vt ſit
Nil aliis, mihi nil deſinit eſſe nihil.
An nihil eſt, ipſum prenſo nihil are fugare?
Immo aliquid: totum nec tamen hoc aliquid.
Verùm ex nil aliquid modò qui fecere; quid obſtat,
Ex aliquo totum quin bene perficiant?

AD ROBERTVM HELLYNVM ET IOANNEM BAPTISTAM *SCHOORMANNVM GANDAVI* Syndicum.

CVM *tot Geryonas paſſim, Cacóſque rapaces,*
Atque nouos Verres ſecula noſtra ferant;
Vnguibus Harpyias, & edaci pectore Miluos,
Prætextâ Patriam qui pietate vorant:
Optabam Alcidem, & Ciceronem poſſe renaſci;
Ferret vt iſte manu, conſilio alter opem.
Audiuit Deus, & fido vos pectore iunctos
Herculis & Tulli iuſſit obire vicem.

AD

AD
GERARDVM BLASERIVM
GANDAVI CONSVLEM.

ET *chartâ & plumbo ſignata numiſmata,* CONSVL,
VRIENTIVS *obſequij dat tibi ſigna ſui.*
Exigua hæc, fateor, nec de meliore metallo
Nata. tamen ſtudio non aliena tuo.
Te quoque, quem veterum iuuat ora per æra tueri,
Poſt veniens ætas æris honore colet.

AD
IOANNEM VAN HAVRE
WALLÆVM.

QVI *varios hominum mores, qui ſingula cæli*
Climata, quique ſolum vidit & omne ſalum;
Ille mihi haud puncto, ſed dignior Orbe videtur.
*Talis es. ergo** ORBEM *munera noſtra cape.*
* Sphæram aſtronomicam.

AD
ÆGIDIVM BRECHT
QVÆSTOREM.

CVM *tibi tantus amor ſit* RECTI, *& iuris, & æqui;*
Prima ſuperuacua eſt littera, BRECHTE, *tibi.*

AD

A D
PIERSENIVM ALOSTI
PROPRÆTOREM.

SI tibi cum duris tam bellè conuenit armis,
Tam bene cum rigido ſi tibi Marte quadrat;
Quàm bene cum Muſis & Apolline conuenit æquo,
PIERSSENIOq; *tuo,* PIERSSENIOq; *meo:*
I bone, & Oſtenda contra arma rebellia tende;
Non alia melius illa domanda manu eſt.
Edomuit duram Iuuenis Tirynthius Hydram,
Quid vetet & tantum te quoque adire decus?

A D
IOANNEM SECLYNIVM
DOMINVM DE PREVX. IN SYM-
bolum: per vincula creſco.

ARDVA *vis Tiliæ* PER VINCVLA *ſurgit in auras*
Et ſuperat tortæ flexile ſepis opus.
Sic tua ſe, SECLYNE, *poli ſuper ardua, virtus*
Tollit, & E VINCLIS *rumpit ad aſtra viam.*

Ad Illuſtriß.
LADMORALDVM DE LIG-
NE SACRI IMPERII ET LIGNE
Principem.

IPSE *licet meritis tibi tot deuinciar, ipſa*
Vt nequeat grates Gratia ferre pares;

Muſa-

Muſarum decus, & Patriæ laus, LIGNE, *patrone*
Vne mihi: meritis hoc tamen adde tuis;
Ille tuus Vates, meus ille Vt Honorius, ortus
Gente bonâ, & vitâ & moribus ipſe bonis,
Præmia virtuti, te vindice, ſentiat æqua,
Donatus meritâ ciuis honore togæ.
Maius adeſt; ſcis vota tui ſecreta clientis;
Hoc age; ſic faueat Fors tibi, quidquid agis.

Ad Nob. Virum

IOANNEM DRENCVVAIRTVM EQVITEM, DORMALIÆ TOparcham, à Theſauris Financiarum Belgicæ.

ACCVMVLENT *alij plenis tibi carmina plauſtris,*
Et ſua diffuſâ munera mole probent;
Nos breuia hæc, DRENCVVAIRTE, *tibi: quia publica lædat,*
Qui tibi ſit longâ garrulitate grauis.

IOAN-

IOANNIS BLOOTAGRI CANONICI BRVGENSIS, IN COMmendationem verſuum & laureæ

MAXÆMYLIANI VRIENTII Epigramma.

ÆTERNVM *victura videns te carmine Diua*
Pangentem, tacitis quà Ria tranſit aquis;
Virgineam quæ plexa comam, Lauruq́ue decora
Cynthia Acidalios temperat ore modos;
Illa Heliconiadum decus vnicum, & vna Sororum,
Suſpiciens lenes cum grauitate ſonos;
Molle latus varians, alioſque alioſque reflexus
Conglomerans, ſocias prouocat ore Deas.
Atque leui teretes includens tegmine ſuras,
Præſilit in numeris ingenioſa tuis.
Credit Cyrrhæis iterum ſe ludere neruis,
Vt ſolet, ad Pindi flumina, ſiue Cragi.
Sed propè vt acceſſit, virides per graminis vndas
Exſternata tuis nutibus erubuit.
Qualis candidulo roſa luthea lactis ab imbre
Tincta, nouum è niueo fulgurat ore decus.
Et totam tibi ſe inſinuans pudibunda, ſerenis
Oſcula dans oculis, oſcula dans manibus

Sæpe

Sæpe iteranda lubens, generoſe Poëta, ruboris,
MAXMYLIANE, mei præmia, dixit habe.
Et capiti impoſuit diſtinctas ordine Lauros,
Lætaque odorato gramine ſparſit humum.
Nil igitur mirum, ſi cui ſua detulit vltro
Serta Dea, hunc Lauru Patria Ganda colit.

LVDOVICI MEDARDI SOCIETATIS IESV
In opuſcula.

MAXÆMYLIANI VRIENTII POETÆ Gandenſis.

VRIENTIE, cui mentem Charites animaſſe feruntur,
Aut tribuiſſe ſuam Delius ipſe animam;
Dum canis, & lecto celebras epigrammate claros
Stemmate, doctrinâ, vel pietate viros;
Aut tibi cognati quos gluten amoris amicos
Perpetuæ nexu fecit amicitiæ;
Quàm potis es facili tecum deducere verſu
Caſtaliáſque Deas, Caſtaliumque Deum!
Pocula, quid mirer, tibi ſi Thymbræus Apollo
Bellerophontæâ plena miniſtret aquâ?
Vix placidis iuga ſacra oculis circumſpicis, omnes
Cùm trahis, en, faciles in tua vota Deas.
Dedita quæque tuo genio ingenioque, laborat
Ponere prima tuis laurea ſerta comis.

Illis

Illis iam bifidi ſordent faſtigia montis,
  Ictaque Pegaſeo quæ ſalit vnda pede.
Non veteres coluiſſe domos delectat; at ardent
  Inque tuo ſatagunt viuere, Ganda, ſinu.
Gordunique lares & iunctis Naiades vndis
  Sola placent curſu flumina trina pati.
VRIENTIVS id cauſſæ eſt, cuius rapiuntur ab æſtu
  Pieridum Præſes, Pieridumque chorus.

MAXÆ-

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER III.

AD R. PETRVM PANTINVM DIVÆ GVDILÆ DECANVM.

SCIN', PANTINE, *ſuo quid carmine captet Amicus?*
Ille tuam certè captat amicitiam.
Sum nouus atque hoſpes, fateor: verum omni adeò in re
Quis nouus atque hoſpes non ſemel antè fuit?
Sic fuit in terris quondam quoque Iuppiter hoſpes;
Sic ſemel & Delos & noua Roma fuit.
Quare illud perpende; nouo ſi qui modò Amori
Supplicat, an poſſit non ſemel eſſe nouus.

IN MORTEM ET SCITVM

Illuſtriſsimi

ANTONII PERENNOTI

S. R. E. CARDINALIS

Durate.

TRISTIBVS *obluctans furiis Aquilonis & vndæ,*
Pergama in Italiam qui recidiua tulit;
Ionio in magno, deiectâ claſſe, viriſque,
Dum mortem in mediâ non niſi morte videt:
Spem vultu ſimulans, animi & maris anxius æſtu,
Obdurare ſuos non minùs ille iubet,
Et faciles ſperare Deos, finémque laborum
Præcipit, obiectiſque altiùs ire malis.
Fortiter, atque ſuâ pro parte viriliter ille.
Tu quoque non illo Dux, PERENOTE, *minor,*
Qui gemini Iouis imperio mare miſſus in altum
Publica Belgiacæ vela tenere ratis,
Inſtantem aduertens hyemem, triſtémque procellam,
Quam grauis hinc Boreas ciuit, & inde Notus;
Aſper vterque nigris turbans freta publica pennis,
Horriſonumq; atro murmur ab ore vomens;
Tantum illud, DVRATE, *mones. O vox cata! quâ nil*
Aptius & breuius Pythius ipſe ſonet.
Aurea vox, oracli inſtar ſcribenda per omnes
Templorum & Regum duro adamante fores.
Duraſſent vtinam meliori tempore Belgæ
Regis in obſequio, relligione Dei!
Non ita nunc duro quateret Mars omnia ferro,
Non foret ipſa ſuus Belgica aduſta rogus.

Verùm

Verùm ô DIs aliter noſtra ob mala crimina viſum:
Obſtitimus monitis pectora dura piis.
Sic monuit Troiam prudens Caſſandra futuri,
Non minùs hac ſpretâ perdita vate fuit.
Felix illa, ſemel quæ poſt duo luſtra ſepulta
Nunc Latio Phœnix regnat in Orbe noua;
At miſerè infelix quater & plus Belgica, ſeptem
Quæ per luſtra ſuo ſemper ab enſe perit;
In pœnas fecunda nouas quæ pragnát, & acri
Vulture perpetuum pectus adeſa dolet.
Spes tamen vna tuá, PERENOTE, *à luce micabat*
Tot tempeſtatum nubila poſſe premi;
Demicuit, mortiſque tua nos nocte feſellit,
Hinc (hei) tot tenebræ ſcilicet & lacrymæ.
Prægrauat incolumis radianti lumine virtus,
Sublatam ex oculis Inuidia ipſa gemit.
Interea in duris obduret Belgica fatis,
Durare in rebus non potis antè bonis.

IN MORTEM ET SCITVM

CORNELII IANSSENII
I. GANDEN. EPISCOPI
State.

QVI nos STARE *monet, iacet (heu)* IANSSENIVS. *ite,*
Ite viri, & magnis STARE *parate animis,*
Ille ſui Alcides ſi conſtantiſſimus aut
Occidit, heu Scitis non memor ipſe ſui.
O nunc Hydra lacu noua cornua tolle Lemanno,
Ille tuus cecidit qui modò terror erat.

At non Hydra lacu noua cornua tolle Lemanno,
Ille tuus ſupereſt qui modò terror erat.
Hercule ſublato, metuuntur & Herculis arma;
Sunt tuus, Hydra, Viri ſcripta relicta timor.

IN MORTEM ET SCITVM

WILHELMI DAMASI LINDANI II. GANDEN. EPISCOPI

Quæ ſurſum ſunt quærite.

DVM *quæ ſunt* SVRSVM *quærens,* LINDANE, *deorſum*
Deſeris, & rectâ tendis ad aſtra viâ;
Pura quidem SVRSVM *te lux comitatur euntem,*
Et cœli circum te micat omne decus:
At nox Cymmeriis tenebris ruit atra deorſum,
Orbis vt antiquum credat adeſſe chaos.
Sic lux, ſic tenebræ SVRSVM *alternantq́ue deorſum,*
Atque obitu & vitâ ſtantq́ue caduntq́ue tua.

IN SCITVM REVERENDISS. Præſulis

PETRI DAMANTII III. GANDEN. EPISCOPI

Deum redama.

QVISQVIS *amicus amat,* REDAMARI *iure meretur;*
Nam genuinus amor gaudet amore pari.

At mortale genus non valdius vllus amauit,
Quàm cælestis amor, victima noſtra, Deus.
Ergo DEVM *meritò ſuades* REDAMARE, DAMANTI:
Nam ſine amore Dei nauſeat omnis amor.

IN SCITVM

VIGLII ZWICHEMII PRÆPOSITI DIVI BAVONIS GAND.

Vita mortalium vigilia.

QVID *pluteo Liber impoſitus, Candelaq́ pernox;*
Quid celeres horas Clepſydra menſa docet?
Artibus & ſtudiis noctúque diúque ſeueris
Admonet explicitus inuigilare liber;
Hinc decus & clari venturum lumen honoris
Lumine Lychnuchus præradiante notat.
Tempora metiri vigili labentia motu
Nos docet exemplo Clepſydra gnaua ſuo.
Rectè igitur vigilare mones, vigil optime, VIGLI;
Nil etenim vita eſt, ſit niſi vita vigil.

IN SCITVM

NICOLAI GOBYLLE ARCHIDIACONI CAMERACENSIS

Vnum neceſſarium.

QVIDQVID *agis ſatagiſque, eſt* VNVM *porro* NECESSE,
Vt quod agis peragas, vnum adamare Deum.

IN

IN SCITVM,
IACOBI MONAVII
Ipſe faciet.

QVID tantum mortalis homo, quid bulla, quid Vmbra,
Cæca quid aſsiduo blenna labore ſtruis?
Quid facis, aut factum molimine quolibet optas?
Omnia cum facias, nil tamen ipſe facis.
Quin Deus, ille Deus magni mens prouida Mundi,
Eſſe cui debent ſidera, terra ſuum;
IPSE bonus FACIET, tibi quod Videt Vtile facto;
Non bene mortalis quod facit, IPSE FACIT.

IN SCITVM
IVSTI LIPSII
Moribus antiquis.

SI ſimplex animi candor, ſi neſcia fuci
Integritas ſimiles nos facit eſſe Deis;
Nemo te propius, LIPSI, ſe æquabit Olympo:
Nam te candidior nemo, nec integrior.
Rideat hæc patrium fallax Vulpecula ad Arnum,
Rideat & laruis Aula referta nouis;
Tu modò perge animo contra tua ſæcula priſco.
Nil prius ANTIQVIS MORIBVS, atque fide.

IN SCITVM

MICHAELIS VANDER HAGHEN

Durant connexa.

AH *nimium vere verax ediſſeris* HAGHI,
Et tripode è Phœbi ſymbola prompta tua eſt;
Symbola digna cedro, foliiſque notanda Sibyllæ,
Tantum adeò ex vero nunc ea pondus habet.
Nec CONNEXA *refert Scilluri dicere tela,*
Nec dumum, aut valida nexile ſepis opus:
Clariùs hoc ſpirus CONNEXA *rebellibus Hydra,*
Dura tot in Regem quæ quatit arma, docet.
Mole ſuâ contrà ruit, aut ruitura videtur,
Non bene funiculis Pars bona nexa ſuis.
At tu nexa parum PRINCEPS ALBERTE, *renecte:*
Sic tibi, ſic duret Belgica nexa ſibi.

IN SCITVM NOMEN ATQVE inſignia

SIMONIS ARENTII ARCHIPRESBYTERI

Atque

OFFICIALIS GANDENSIS

Surſum.

OMNIA *quæ motu rapiuntur prapete* SVRSVM,
Illa vigris finxit nobiliora Deus.

Sic

Sic SVRSVM *leuis ignis agit*; SVRSVM *leuis aër*
Nititur; *Vnda grauem cærula lambit humum.*
Ipſe Deus SVRSVM *magni ſuper aurea cœli*
Atria, & ex illo profluit omne bonum.
Hinc, Velut ad Vitæ fontem, SVRSVM *omnia anhelant,*
Illa quibus cœli purior ignis ineſt.
Cetera bruta ſolum Vel ſtagna liquentia Verrunt:
Sed tamen & SVRSVM *Terra Salumq́ petunt;*
Montibus illa ſuis, & montibus illud aquarum,
Æmula ceu ſupero baſia ferre polo.
Et faciant; Natura ſuis ni ſingula claudat
Finibus, & ſtabili ſtent elementa fide.
Tantus amor Terræ ſuperas emergere in oras,
Oceano SVRSVM *tendere tantus amor.*
Quin & auis SVRSVM *celeri quoque remigat alâ,*
Et liquidum pennis auia ſtringit iter.
Ante alias (Viden'?) Vt SVRSVM *petat altiùs Æthram*
Illa auium Princeps, armigera illa Iouis;
Illa Aquila, aduerſum fixo quæ lumine Solem
Acre tuens, nubes Vincit, & aſtra ferit.
Mentibus exemplum generoſis tendere SVRSVM,
Altáque inacceſſâ ſidera adire Viâ,
Reptilium procul à cœno, Vulgiq́ profani
Colluuie, terrâ deſide, nocte procul.
Sic ab humo longè Viua Volat indole SVRSVM,
Montibus excelſis celſior, atque Aquila,
Ille Aquila inſigni & cognomine nobilis ARENTS,
Ille nouus priſcæ Relligionis Atlas,
Ille ſacræ Sophiæ & recti Cynoſura, bilancem
Detulit ex alto cui Themis ipſa ſuam;

Ille SIMON, *pius ille* SIMON, *qui montis ad-inſtar*
Ardua cælorum non modò totus adit;
Verùm & nos Euangelij rapit alite SVRSVM,
Mons, Aquila, & Verbi buccina dia ſacri.
Perge, Pater, perge inuictis Aquila inclyta pennis,
Perge per excelſum celſior ire decus;
Dum tandem, hoc Vita decurſo tramite, SVRSVM
Euehat emeritum te ſuper aſtra Deus.

IN SYMBOLVM NOBILIS VIRI

ANTONII BLONDELLI
EQVITIS, CVINCHYÆ BARONIS

Orta cadunt.

NESCIO *quem Pindum, quæ neſcio Theſſala Tempe,*
Neſcio quos Diuos Græcia vana crepet.
Illa fuere olim, nunc Mars ferus omnia Turcæ
Tranſtulit, & regnum barbarus hoſtis habet.
Exceſſere ſuis adytis, pia numina, Muſæ,
Exceſſit luco pulcher Apollo ſuo,
Auius huc illuc incertis ſedibus erro,
Rure vagus tandem cùm ſtetit ille tuo,
Nobilium flos vne Virûm, BLONDELLE, *tibíque*
Hoſpitij pretium plectra Lyrámque dedit.
Exſulij comites hortos ſtruxere Camœnæ,
Hîc vbi tu ſtudio nobiliore fruens,
Carmina tam bellè, BLONDELLE, *ediſſeris,* ORTA
Vt cùm cuncta CADANT, *non tamen illa* CADENT.

IN

IN SCITVM

IOANNIS GOBYLLE CANONICI CONSOBRINI MEI

Vnum ſequere.

PLVRA *quid affectas?* VNVM SEQVERE. *eſt Deus Vnus,*
Hunc ſequere, & portum, quem petis, aſſequere.

IN SYMBOLVM

ADRIANI DE MARSELARE

Mars è lare cordis.

OMNIA MARS *vaſtat, ferro* MARS *omnia miſcet,*
Turbat & ex adytis Sacra Deosq́ ſacris.
Quo MARS *cumque loco veſtigia ferrea, lauam*
Flexerit aut aciem, fulmina bina, ſemel;
Nulla ſalus regno, pax in Lare & E LARE *nulla,*
Nulla quies noctu, nulla diuq́ quies.
MARS *mare turbarum,* MARS *eſt caput omne malorum,*
Maius vt addubites mors ſit an ipſa malum.
Horrent cana metu viſo procul Opida Marte,
Martis inaudito nomine Rura tremunt.
Cuncta gemunt, pariterq́ fremunt, ſine lege vagatus
MARS *vbi non æquis frena relaxat equis.*
Iuſto igitur votoq́ pio, face & enſe furens MARS,
MARSELARE, *tui* DE LARE CORDIS *abeſt.*

AD

IACOBVM DE CODT SOCIETATIS IESV.

SCRIPTVRIO, *at ceſſo, & metuo tibi ſcribere* CODTE,
Tam me maieſtas nominis alta tui
Percutit, attonitumq́, ſuo ſic ſternit honore,
Vt ſtupeat radio lux mea victa nouo.
Quare ſi propiùs tibi vis me arrepere amicum,
Imáque notitia limina adire tua;
Tantum de nimio fama fulgore remitte,
Quantum ego ſim ſaluo lumine ferre potis.
Mortalis Semele æterno congreſſa Tonanti,
Præradiante ſui flagrat ab igne proci:
Icarus ad Solem liquefactis labitur alis:
Sidereo Phaëthon pronus ab axe ruit.
Res grauis acre iubar, nec tela micantia Phœbi
Qualibet incolumi luce tuetur auis.
Quare, CODTE, *tui ne prægraue ſidus honoris*
Tireſiæ feriat lumen vtrumque mihi,
Quod ſatis, è nebulâ mihi te concede videndum,
Sic procul & Solem noctua ſpectat hebes.

AD

FRANCISCVM MOSCHVM.

SAXA *animaſſe ſono Thebanæ conditor arcis*
Dicitur, atque Orpheus attonuiſſe feras,

Mon-

Montiuagas ſine lege feras, capita inſcia rerum:
Illicis hoc potuit, gratia blanda lyra,
Nil magnum potuit: quid enim miremur agreſte
Humanum ingenium detinuiſſe pecus?
Quin magis obſtupeo, noſtri ô miracula ſacli
Vera, ſed ad Seros Vix habitura fidem!
Millia multa Virûm nunc Vni poſſe iuueneo
Cedere, & attonitis pendula ſtare animis,
Illius ad ſolum mugitum & murmura Vocis,
E cathedrâ quoties flexanimo ore tonat,
Et tonat, atque acres Verborum effulgurat ignes,
Queis ſcelera & ſcelerum conſcia corda quatit.
Idem mille fauos per pectora ſtillat & aures,
Pectora dum ſcelerum pœnituiſſe Videt.
Si non hæc mira eſt, ſi non res plura ſtupore eſt,
Iam ſtupeo & toto miror in Orbe nihil.
Hæc ſi ſed mira eſt, ſi res hæc plena ſtupore eſt,
Rem miram hanc miro MOSCHVS *ab ore facit.*

AD
FEDERICVM IAMOTIVM MEDICVM ET POETAM.

SI cui, IAMOTI, *ſe totum indulſit Apollo,*
Expertum & medicum cum melico eſſe dedit,
Inſimul & Graiis fidibusq́; placere Latinis,
Is niſi tu præſtes, ſit mihi Graia fides.

AD

PETRVM BASILIVM MEDICVM.

IPSE *licet,* BASILI, *totus bonitate redundes,*
Rem tecum cupiam non tamen eſſe mihi.

AD

ROBERTVM SWEERTIVM SOCIETATIS IESV.

SWEERTI, *quem Pietas doctrinaq́; ſanior ornat,*
Ornat vt integram candor & aura roſam:
Ah! tibi quid tantum me vis debere? perennem
An famam acceptam me tibi ferre parum eſt?
Me quoque nunc animæ niſi vis debere ſalutem,
Obſtrictum monitis conſiliiſque tuis?
Vtraque tota tua eſt, anima & fama; iſta (quod opto)
Victura in populo, rectiùs illa Deo.

AD

CORNELIVM CAMERARIVM.

GALLICA, CORNELI, *fauet & tibi Suada Latina.*
Vtraque ſed nimiùm dum tibi Diua fauet,
Iſtáque te totum ſimul ambit & illa potiri,
Es pene inuidiæ factus vtrique Deæ.

AD

AD
GVILIELMVM NORMANVM CANONICVM.

SIT *felix,* NORMANE, *tibi, quæ numine dextro*
Mutata eſt vita nupera NORMA *tua.*
Hac iter eſt cælo: veram contingere metam
Qui velit, hunc aliâ non licet ire viâ.
Ergo iam dubiæ Spes & Fortuna valete,
Certior & melior NORMA *reperta tibi eſt;*
NORMA *Deo & Clero, miraclo teſte, probata,*
* *Recta palàm claudo membra trahente viro.*
(* Gandaui ad aram S. Liuini.)
Illo adeò in puncto, votis concorditer æquis
Annuit auſpiciis cùm ſacer Ordo tuis.
Felix, cui pariter Deus atque Eccleſia fauit;
Miraclo ille nouo, calculo at illa probo.

AD
FRANCISCVM DELRIO CANONICVM.

DELRIO, *cui ceu cæli de diuite riuo*
Et decus, & probitas, & bona fama fluunt:
Cùm tibi quod donem nil ſit, tibi paucula dono
Carmina. quid tandem carmina? mentis opus.
Ecquod opus? ſanctum, dium, immortale, velut mens
Ipſa, vel inſtanti neſcia morte mori.
Cætera fortuna rapit impetus, aut fuga ſecli;
Et ſortem & Mortem ſola Thalia fugit.

Illi nempe Deus Pater, & cæleſtis origo,
An tibi nobilius quis dare munus habet?

AD
LVDOVICVM MEDARDVM SOCIETATIS IESV.

NVPER Vt euolui tua carmina, docte MEDARDE;
Eſſe ratus numeros, Naſo poeta, tuos;
Obſtupui. at poſtquam me ſenſi errore teneri,
Nominis & tituli pro ratione tui;
Cede Tomitanæ, dixi, miſer incola terræ,
Neſcio quid maius Muſa Medarda canit.
Tanto, inquam, maius, quanto maiora profanis
Sunt ſacra, tam Siren gratior iſta canit.

IN IVBILÆVM ET LAVREAM
PETRI BACQVERII SACRÆ THEOLOG. DOCT. ORDINIS D. Dominici.

LAVRVS *amat Vatem, Vati tibi ſerta parantur*
Laurea, & emerito Iubila læta ſeni.
BACQVERI, *hunc dederunt Diui tibi lucis honorem:*
Fas Vtinam tali nos quoque laude frui!
At ne longa dies ſeris labentibus annis
Extinguat meriti tanta tropæa tui;
Feſta per æternos abeat lux iſta nepotes,
Nulli non gemino teſtificanda metro.
ALgIde ter ſenas dVM ſpargIs rebrVe LVCes,
IVbILa, Io, & LaVrI ConCeLebratVr honos.

AD

AD

PETRVM CANISIVM NEOMYSTAM.

IMBERBIS *mento,ſed mente & pectore canus,*
Non canis atque CANIS *myſtica ſacra canit.*
At verò Lex ſacra canes procul arcet ab aris,
Quî nouus ergo litat farre meróque CANIS?
Sic litat atque canit, nihil vt cane ſit minus: idem
Sic litat, atque Deo myſtica ſacra canit,
Gratiùs vt cœlo nemo canat; aureus ipſe
Non quoque ſi fiat vox mera ſtella CANIS.

AD

PETRVM MAGNVM CANONICVM.

ATTRAHIT *vt ferrum Magnes, tua ſic quoque,* MAGNE,
Illice me virtus raptat amore tui.
Quare, ſi potis es tam magnus amare minorem,
Magne vir, ipſe aliquem me quoque amare velis.
Sic amor iſte nouus, qui nunc vel ut embryo, creſcet
Maximus è paruo pumilione gigas.

AD

IOANNEM BLOOTAGRIVM CANONICVM BRVGENSEM.

VIRGINE *qui lauru totum Aona nudat & Hamū,*
Pindum hederis, vernis Theſpia rura roſis;

Carmi-

Carmine qui Phœbum, Sophiâ qui nudat Athenam,
Eloquio Suadam, melle & amore Charin;
Omnes qui Diuos omni prope numine nudat;
Omnia qui diæ mentis adoptat agro,
Quæ vel habent Graij, vel habent miracla Latini;
Qui tot opum diues nudus inaudit agri,
Dic Dea, quiſue virûm, ſeu quis magis ille Deorum eſt?
Sic ego, ſic paucis mî Dea Calliope:
Neſcio quis Brugis habitat BLOOTAGRIVS, *illum,*
I pete; & inuento, cætera crede tibi.

AD IVSTI LIPSII LIBRVM DE CRVCE.

SVPPLICII *ferale genus, trabs hoſpita leti*
CRVX *olim, & dirus ſentibus horror erat;*
Tormentum inuiſum, dirum, exſecrabile lignum,
Quo grauius nullum terra nouerca tulit.
At poſtquam ſata Patre Deo, ſata Virgine Proles
Diluit in celſa crimina noſtra cruce;
Victima pro ſeruis Dominus, pro ſontibus inſons,
Pro læſis medicus, pro grege paſtor amans;
Illicet ex illo Crux lux, mors vita, Tropæum
Furca, decus probrum, pœna medela fuit.
Hoſpite preſſa Deo tanti CRVX *numinis, olim*
CRVX *ſcelerum Nemeſis, nunc ſcelerum vna ſalus.*
Hoc olim tam grande decus, tam nobile pignus
Terra diu cæco texit auara ſinu:

Dum

Dum, velut i poſtliminio, tandem extulit illam,
Et luci lucem Cæſar habere dedit.* * Conſtantinus.
Fallor? an & IVSTVS, ceu Cæſaris æmulus, atrâ
Nocte laborantem tollit ad aſtra Crucem?
O factum iuſtè! ſic rident lumina iuſtis,
Inuidiâ iniuſtis lumina fracta dolent.

IN EPHEMERIDES
NICOLAI OVDARTI
CANONICI ET OFFICIALIS
Machlinienſis.

VIDERAT *ex alto, qui peruidet omnia, Phœbus*
OVDARTI *ſacrum carmen* EPHEMERIDES:
Viderat, atque operis ſeriem miratus & artem,
Protinus hos dio protulit ore ſonos:
Parue liber ſalue, & tua tot myſteria, quæ vix
Percipere eſt hominis, præcipere illa Dei eſt.

IN OPVS TRIVMPHALE
IOANNIS BOCHII S.P.Q.
ANTVERPIENSI A SECRETIS.

IN *ſomnis nuper mihi mira Puerpera viſa eſt,*
Mira adeò, vt viſo vix ſit habenda fides.
Nam nec femina erat, quin nec Dea, nec Deus ille
Creditus à cerebro vel ſemore eſſe parens:
Omnia ſed Phœbo ſimilis, crinem, ora, genáſque,
Toto habitu & vultu vir manifeſtus erat;

Et

Et citharam manibus percurrere gnarus, & arcum
Tendere, & in certum figere tela ſcopum;
Aurea lingua viro, manus aurea, laurea porrò
Frons erat, ambibant laurea ſerta comas.
Illius at grauido deſudans pondere vertex,
Neſcio quod magnum parturiebat opus;
Ante fores adſtans quod fama vocabat in auras,
Gratiaq; arridens, Melpomeneq; fauens;
Atque honor, & claris maieſtas fulta triumphis,
Clarior à partu progreditura nouo.
Verùm operis labor, & prudens formido futuri,
Baubantum & rabies barbariéſque canum,
Vix iam vixq; ſinunt maturum erumpere fetum;
Ni, pia vt obſtetrix, quis Deus addat opem.
Vidit, & officium Lucina praſtitit aqua
(Solus de ſuperis qui ſua terga videt)
Claue potens Ianus, latebríſque repentè recluſis
Mox ſtantem infantem proſiliuſſe iubet,
Veſte triumphali radiantem & luce coruſcâ,
Quam ſtupuit Scaldis, quam Tagus, atque Padus.
Fallor ego? an verè tunc illa Puerpera, BOCHIES?
Aureus & partus Hiſtoria iſta tua eſt?
Auſtriadæ in xenium Iani modò nata Kalendis,
Magna tuis Belgis gloria, magna tibi?
O felix labor! ô partus Ioue dignus! & omnis
Noſtra Puerperio Belgica clara tuo.

IN

IN EVLOGIA

AVBERTI MYRÆI S. T. L. CANONICI ANTVERP.

DESINE *iam Latium, iam Græcia deſine tandem*
Mirari Samij dogmata priſca Sophi:
Numquam obeunt animæ, ſed diuerſoria mutant;
Inq; alia ex aliis corpora ſemper eunt.
Sic Iouij, ſic illa cati mens dia Plutarchi
Nunc quoque poſt functos poſthuma ſpirat heros.
Nec mirere: patet res certa auctore MYRÆO,
Alter qui Iouius, quique Plutarchus adeſt.
Belgiadum decus, & ſcriptor, velut ille, vel ille
Præco ſuæ Inachiæ, præco ſuæ Italiæ.

IN PARAPHASIN CANTICORVM

FRANCISCI MONCÆI ATTREBATIS AD IOANNEM TORRIVM Conſiliarium.

EN *tibi,* TORRE, *nouâ reducem cum veſte libellũ*
Et magnum Attrebatis, & breue vatis opus;
Ingenio magnum, paruum breuitate. ſed arctus
Sæpius immenſo præſtat agellus agro.
Pyxide in anguſtâ conduntur aromata, paruis
Aurifabrûm loculis gemma repoſta latet.
Optima res pretij merito, non pondere venit.
Arte ſuâ, ſed non mole probatur opus.
Ergo tuum cape, TORRE, *breuem breuis ipſe Libellum,*
Et breuis ob longam ſit, precor, ira moram.

Ira

Ira quidem iuſta eſt: verùm & mihi iuſta morarum
Cauſſa fuit libri lotos amica tui,
Ipſum quæ mihi me penitus ſic ſurpuit ipſi,
Vt fuerim libri, nec memor ipſe mei.

IN ETYMOLOGICON CORNELII KILIANI DVFFLÆI.

QVIS *putet in medio nos Solem Sole latere?*
Nos tamen in medio Sol quoq; Sole latet,
Lux in luce, latex in flumine, in arbore poma;
Sic nos Tantalidas copia ludificat.
Quid magis eſt noſtrum, quàm noſtri idiomatis vſus?
Nos tamen hoc noſtrum pæne idioma fugit;
Neſcio an ignaros, pertæſos an magè noſtri,
Semper vt in propriis nauſea rebus ineſt.
Non ita Germani vindex ſermonis, & æui
Seu Cicero, aut Varro poſthumus ille ſui
Interpres KILIANVS, *ab ipſis fontibus omnes*
Qui Belgarum vnus ritè recludit opes;
Dufflia quo tanto modò clarior exit alumno,
Et propè par Grudiis tollit ad aſtra caput.
Ille nouum Cornu reſerans CORNELIVS, *ille*
Diuite inexhauſti gurgitis amne fluens,
Indigenas latè latices natiuáque pandit
Flumina, quæſitam prompta leuare ſitim.
Inde domi pleno ſe Teuto ingurgitet ore,
Nil hîc, quod vitio verterit, exter habet:

Quin

Quin magè Belgarum ſemel ille nouo ebrius hauſtu,
Non alio poſthac fonte madere velit.

IN TRAGICOMOEDIAM

ET

DVELLVM LITERARIVM CLAVDII BASSECOVRTI.

QVI *Veneris flammas, qui læſa Palladis iras*
Noſcere, qui gemini tela furoris amat;
Hoc, duplici candens facula, legat ille Poëta
Acre duellantis, molle procantis opus.
Mentior; aut lectū ſimul his, ſimul ignibus illis,
Caucaſus vt fuerit, Veſuius alter erit.

DE SVADA

IVSTI LIPSI.

MVLTVM *alij & multū, ſed paucis dicere multa*
Qui queat, aut nemo, aut LIPSIA SVADA *poteſt.*

IN TRANSLATIONEM VERſuum Italicorum

FRANCISCI PETRARCHÆ

AVCTORE

PHILIPPO MALDEGHEMIO

LEYCHOTI DOMINO.

Laurus loquitur.

ILLA *ego nunc foliis velata perennibus arbor*
Pulchra, olim, & Phœbo Nympha adamata fui.
Euirui in Laurum, mutatam fleuit Apollo,
Vda ferens libro baſia mille meo.
Mi mea virginitas, illi ſua flamma remanſit
Maxima, ſed tanto nil valitura Deo.
Vritur indomitus, nec ſæcula longa calorem
Tollere, nec radix, herba nec vlla poteſt.
Vidit, & vt nato ſuccurat Iuppiter agro,
Suſcitor in vitam Laura puella nouam,
Hic vbi populifer lenis fluit agmine Sorga,
Sorga mei æternùm clarus ab igne Proci.
Nēpe Procus Deus eſt, cui nomine & ore PETRARCHAE
Dulce fuit numen diſſimulare ſuum.
Ne quoque tunc noſtri ſentiret, vt antè, repulſam.
O nimis in fraudes ingenioſus amor!
Ille quidem Tuſco potuit vaga flumina cantu
Siſtere, ſeu Tibri, ſeu, patrie Arne, tuum;
Omnibus & ſiluis atque indere rupibus aures:
Sola ego cantanti ſurda puella fui.

Et

Et potui non eſſe, fidem niſi pacta fuiſſem
Attica virgo tibi, Delia virgo tibi.
Quarũ ope Daphne olim, dein Laurus, nunc quoq; Laura,
Morte obitâ, in Laurum ſum modò verſa nouam,
Orbis honos Itali, & diuini gloria vatis,
Seu Deus ille fuit, ſiue PETRARCHA *fuit.*
Quiſquis at ille fuit, magnus fuit, & mihi nomen
Victurum Latio ſemper in Orbe dedit.
Nec minor ille, Alpes vltra Rhodanumq; ſequeſtrem
Qui me Liligeri primus in arua Soli
Tranſtulit, & tanto cumulatam fenore adauxit,
Itala vt addubitem, Galla vel eſſe velim,
Itala, vel Phœbi, vel amantis ab ore PETRARCHAE,
Galla ero LEYCHOTI *non minùs ore mei.*
Gallia ſed quantum Latio eſt extenſior omni,
Tantum ego plus Galli lætor honore ſoni.

AD
LVCAM WYNGHARDVM FRANCONATEM.

SACRA *Deóſque Lares Troiâ ex ardente receptos*
Aenea pietas in Latia arua tulit.
His olim auſpicibus cœlo caput extulit ingens
Roma, Phrygum miſeras fortiter vlta vices.
At malè diſcordes Turco euertente Pelaſgos
Nuper & Inachium depopulante decus:
Sacra, nouémque Deas, Phœbeïáque Orgia, ferro
Barbaro, & extremi de face rapta rogi,
Tranſtulit in Morinos, Brugíſque reuiuere Athenas
Iuſſit, & in Franco ſtare Helicona Solo

Ille

Ille Heliconiadum pater, & patrij decus Orbis,
Ille Deo Clario dignus & Ogygio,
WYNGHARDVS, *cui melle mero, cui Vite ſuaui*
Dulcior Argiuus ſtillat ab ore lepor.
Quem non Neſtoreo, ſed nectareo imbre fluentem
Hauriat attentâ ſi ſemel aure Geta;
Iam modò non nollet Graios vitiaſſe racemos,
Sed vitam à tali ducere vite velit.

AD
CORKIVM SVBERINVM.

CARMINE *perlecto, quo tu Cor nobile,* CORKI,
Omnia corda hominum percutis, atque Deûm;
Cor Charitum, Cor Pieridum, Cor Apollinis ipſum
Vno ego mox dixi corde habitare tuo.
Cùm Dea ſic Pallas: Nihil eſt cor dicere CORKVM;
Vt dicas maius, dic (ait illa) minus.

IN DIALOGOS SACROS
PETRI BACHERII S. T. D.

ARVERAT *Pietas, ſicco iam ſtipite, rurſum*
Pullulat hæc calami rore, BACHERE, *tui.*
Priſca Fides deſpecta ſolo repebat; at illa
Te præcone nouum tollit ad aſtra caput.
Relligio Patria extorris mœrebat; at ipſe
Redderis vt Patriæ, redditur illa ſibi.
Sic tibi Relligio, Pietas tibi, ſic tibi debet
Cana Fides, meritis huc reuocata tuis.

DIALOGISMVS IN REDITVM

EIVSDEM BACHERII.

Viator & Mercurius.

V. CANDIDA *quid denſo niuis albet vellere Ganda,*
Vndique cùm curis horreat illa nigris?
M. *Fidite Gorduginæ; veſtris nouus appulit oris*
Piſtor, & hinc cœlo lapſa farina noua eſt.
V. *Hiu, quis Piſtor? niueus cui militat æther,*
Terráque candidulum manna repentè parit?
M. *Scilicet ille, ſacra populum qui farre Sophiæ*
Paſcit, & ambroſio nectar ab ore pluit.
V. *An fors ille ſenex cui pileus & ſacra laurus*
Emeritum gemino mactat honore caput?
M. *Nimirum ille ipſus, ipſiſſimus ille* BACHERVS
Finibus è Geldris ſoſpes & hoſpes adeſt.
V. *Gratus adeſt, ſed quo tandem duce?* M. *me duce.*
V. *tu quis?*
M. *Impiger Atlantis Pleïoneſq́ nepos.*
V. *O factum, bone Diue, bonum! tibi calcar & alam*
Dulce viæ pretium Iulia grata ſacrat;
Vna ſeni reduci niueumq́ datura cucullum,
Ciuibus hunc niueum qui dedit eſſe diem.

DIALOGISMVS

In diſceſſum

R. PETRI PANTINI ET SCIPIONIS

de Crumminga

Vrientius. Harduynius.

V. SCIPIO *abit*, PANTINVS *abit; quid in Vrbe moramur*
HARDVYNI *? ille tuus Phœbus,& ille meus.*
Si modò certus abit, nobiſq́; in nocte relictis
Ille aliò radios vertit,& ille ſuos?
H. *Eſt, vt ais,* VRIENTI*: ſed lex ea propria Phœbo eſt,*
Vrgeat vt curſus perpetuò ille nouos,
Alternáque iubar caligine miſceat aureum,
Fas igitur tales nos quoque ferre vices.
V. *O bene, ſi dulcem non mutet vterque calorem,*
Atque alias alio deligat orbe faces;
Palladis hic Grudiæ, Gudilæ ille pio vſtus amore!
Durior eſt ipſa mî timor iſte fugâ.
H. *Non ita: fidus amor vires acquirit eundo,*
Acrior vtque imo feruet in orbe calor,
Altius ætherium ſcandente Hyperione tractum;
Æſtus in abſentes ſic quoque maior erit.
V. *Dummodo ſic, genio diſcedat vterque ſecundo,*
HARDVINI, *ille tuus Phœbus,& ille meus;*
Ille pia Gudilæ, Grudiæ decus ille Mineruæ;
Ille tui LIPSI *cultor, & ille mei.*

DESI-

DESIDERIVM
IVSTI LIPSII.

O QVAE *me celeri raptum per inane volatu*
Aura ſolo ſiſtat, Legia pulchra, tuo?
Non Papij infamem qui ſpectem funere Moſam,
O ſcelus, ô probrum, Moſa, perenne tuum!
Aut dominum ſceptro auguſtum, ſacriſq; verendum,
Aut populi aut cleri prædominantis opes;
Aut quidquid ſimile his tantum vagus obſtupet hoſpes,
Aut Eburo elato turgidus ore crepat:
Sed magè vt intuear Phœnicem cominus illum,
Quo nihil in toto rarius orbe viget.
Qui modò Lugduno & pingui Batauûm aure relictâ,
(Pace, precor, liceat dicere, Douza, tuâ)
Leodium Leidâ ſacra tranſtulit omnia ſecum.
O tanto felix hoſpite Leodium!

Ad Reuerendiſſ.

PETRVM DAMANTIVM.
GAND. EPISCOPVM.

O QVI *perpetuâ virtutum luce,* DAMANTI,
Clarior & gemmâ & puro adamante nites;
Si vacat, in tantâ quam fulcis mole, minores
Nonnihil ad curas aure vacare breui;
Aure, precor, facili nulli non obuius hauri,
Quod te voce meâ vota tot æqua rogant.
Nota virûm tibi vota, tuo quæ Præſul ab ore
Spemq; metumq; inter ſolicitè icta micant.

E *At*

At tu ſolue ſemel tot pendula corda tuorum,
Et breue vel fiat, vel breue ſcribe nihil.
Nil graue, nil durum, nil triſte procacibus Auſtris
In mare portandum Fors procul atra ferat:
At mihi (quod felix fauſtumq; ſit) vtile fiat,
Adſpiret Zephyri blandior aura tui.
Sic tibi cuncta Deo fiant Redamante, DAMANTI;
Quæ tibi, quæq; tuis tu benefacta velis.

AD
R. CORNELIVM COLVMBANVM.
D. PETRI IN MONTE BLANDInij Abbatem.

MIRARIS *pluuio te nos inuiſere cœlo,*
Maxime BlandinI Pieridûmque Pater,
Deſine mirari: te Solem Sole ſereno
Viſere Gandaui ſidera cuncta ſolent.
Lucida tunc ſtellas obnubunt aſtra minores;
Adſumus ergo humiles, Sole latente, tibi.

AD
R. N. HASARDVM D. GISLENI ABBATEM.

NON *tibi Fortuitò, pro nominis omine, Præſul,*
Texit honoratas infula ſacra comas.
Lubrica Fors alios medij de ſace popelli
Tollat, & ingenij pro leuitate premat;

In

In ſacros nil illa poteſt temeraria Myſtas,
In ſua quos niueus templa recepit Honos.
Ille tibi dextramq́; pedo, mitráque capillos
Induit, & facilem ſtrauit ad alta viam.
Hac tu perge, leuis contemptor Sortis, & olim
Sidera pacta tibi non niſi ſerus adi.

AD
LEONEM MEYERIVM DIVÆ PHARAILDIS.
GANDAVI PRÆPOSITVM.

TENE ego, MEYERI? men' tu proſcribere amore
Sis potis ipſe tuo, ſim potis ipſe meo?
Non ita Diua velit Philie, non Gratia conſors,
Non qui nos ſtudio iunxit Apollo pari.
Nec tanti lingua vlla fuat, nec quidquid vbique
Linguarum, vt valeat diſſoluiſſe iugum;
Quod probitas, quod cana Fides, quod Gratia triplex
Nexu adamantæo vinxit vtrimque ſemel.
Quin ego me odiſſem, tu me niſi certus amares,
Nec me ego iam, niſi quâ ſum tibi amatus, amo.
Nec noſtri dubito quin ſit tibi mutuus ardor,
Multa licet contrà blateret Inuidia.
Sed blaterat; media atque crepet, nil egerit; ipſe
Quin magè inardeſcet lite agitatus amor.
Sic attrita ſilex igneſcit, & arida flammam
Laurus ab aduerſo concipit icta Noto.
Rixa acuit Venerem, cotem lis præbet amori;
Vulnere ſtat virtus, lite perennat amor.

Lite & amicitiâ Mundus concreuit; & inde
Semper habet pacem, iurgia ſemper habet.
Semper habet ſpinas, ſimul & ver molle roſarum.
Semper habet queſtus dulcis amaror amor:
Sed faciles queſtus, faciles ſine viribus iras;
Tecum ego perpetuas quas precor eſſe mihi.

AD
PHILIPPVM NORMANVM
Cognatum.
SOCIETATIS IESV.

CVI *damus has preculas? tibi, qui,* NORMANE, *Parenti*
Parthenia & Muſa non ſine fruge vacas;
Qui ſocios ſtudiis, annos virtutibus ante-is,
Et ſpondes Patriæ nil triuiale tuæ.
Verùm olim hoc. nunc ſat, ſi (quod facis) impiger inſtes
Excolere ingenij florida prata tui.
Nec tamen hoc nimium; ne præcoce fallat ariſtâ
Maturanda ſuo tempore verna ſeges.
Ipſe licet properes, meliùs cunctatior ibis.
Quod nimiùm feruet, vix ſolet eſſe diu.
Omnibus in rebus modus eſt certiſſima Norma;
Norma ſua eſt ſtudiis, & ſua Norma ſacris.
Hanc in vtroque puta tibi ſic, NORMANE, *ſequendam,*
Prima boni vt tibi ſis Norma, ſecunda tuis.

AD

AD LIVINVM SCHVRÆVM PASTOREM IN ACKERGHEM Gandaui.

HORREA *diſtendas: longum tibi meſſis in herbâ*
Quæ fuit, en, SCHVERI, *ridet adulta tibi.*
Ridet, &, en, grauidas tibi prona inclinat ariſtas,
Horrea ceu, SCHVERI, *ſponte ſubire velit;*
Exitij ſecura ſui, tibi prodiga meſſis,
In tua nil dubitans commoda falce mori.
Felicem ô SCHVERVM! *mediâ cui ridet in Vrbe*
Rure vago Agricolis vix reſecanda ſeges.

AD IOANNEM DAVIDEM RECTOREM SOCIETATIS IESV Gandaui.

O QVI *mille epulis mille exples pectora paſtor,*
Diſpenſans populo vera alimenta Dei;
Hîc ubi Nicoleos ſurgunt de nomine templa,
Frugiferæ Cereris proxima templa foro:
Ecquid ego toties tua tot bona pabula libans
Par epulis referam deliciiſque tuis?
Si ſemper velut vrna liquens, pertuſus, inanis,
Siccus, inexpletus, nil ſolidi intus alo:
Quod facit ad fatuam deiectæ mentis orexim,
Quæ ſemper vitiis nauſeat ægra nouis;

Semper in illuuie ſcelerum demerſa, velut ſus
Sordida, far purum deſpuit, eſtq́; lutum:
Nec dulci ambroſiâ capitur, neque nectaris hauſtu,
Diuite ab eloquij quod fluit amne tui.
Ergo magis, magis vſque tona, Pater, ore diſerto,
Et penitus linguæ flumina ſolue tua,
In me dum ſilices, dum ferrum, adamantaq́; frangat
Vox tua, & elidat vi validâ omne nefas.
Sic anima obturata foris, velut ariete crebro
Icta diu, tandem cedet aperta tibi;
Mentis & hæc cautes in agrum conuerſa feracem,
Cultura referet fenora grata tua.

AD ROBERTVM SWEERTIVM SOCIETATIS IESV.

ELOQVII *ingeniique potens, doctiſſime* SWEERTI,
Blanda cui Latio Suada lepore fluit;
Dic, quæſo, tua pacta mihi Matrona vbi ceſſat?
Abdita an eſt animo ſic ea tota tuo,
Vt vetet illa ſuo faculam de lumine ſumi?
O nimis ergo tui, nil memor ipſe mei!
Quare vel pietas tua me fruſtrata fefellit,
Aut ego iam prorſus ſic tibi, care, perI,
Vt mea ſit penitus tibi deſperata medela.
Hoc ita ſi, ceſſa; ſin, age, & vre, ſeca.

IN IMAGINEM DEIPARÆ VIRGINIS ET IESV CHRISTI PVERI.

QVIS puer hic? Deus. Ecqua virgo? mater. Vtrumque
Miraclum, illa parens, & puer ille Deus.
Naturæ vis victa ſtupet, ſtupet omnis abyſſus:
Sola ſtat hic nullo victa ſtupore Fides.

AD R. PETRVM PANTINVM DIVÆ GVDILÆ DECANVM.

NON ego Bruxellam venio vagus hoſpes in vrbem
Cernere tot tumidos, quos habet Aula, Deos;
Exteriùs dites pictai veſtis & auri,
Interiùs ſordes, crimina, monſtra, lues.
Sed te, te, PANTINE, Pater, cui Pan ſua dona
Et dedit, atque olim largiùs aucta dabit;
Te, te, inquam, vt propiùs ſitienti lumine & ore
Vſurpem, & penitum mente animóque vorem;
Non piguit, Grudio Patriam poſtponere cœlo,
Tædiáque emenſæ longa vorare viæ.
Lurconem dices. fateor ſed amoris orexis,
Et deſiderium ſic iubet acre tui.
Quod rogo, ne facilem mihi te, PANTINE, negaris:
Sic quoque Pan Satyro non negat ire comes.

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER IV.

AD IANVM LERNVTIVM.

NON ego ſub dominâ caput hoc ſi veneat haſtâ,
Ipſius & fiat auctio tota mei;
Vni ſoluendo fuerim tibi, maxime IANE,
IANE tuæ Patriæ lumen, & omne meum.
Ergo ego vt ingratus viuamq́ue obeamq́ue neceſſe eſt,
Perpetuò meriti merſus in ære tui:
Illum ni ſoluiſſe voles tibi carmine ſolo,
Cætera qui nunquam ſoluere poſſe putat.

AD EFFIGIEM IVSTI LIPSII.

HÆC LIPSI effigies vultu tenus: at ſata cælo
Mens animi cæli fingier arte nequit.

Qui

Qui volet, hanc cælo librorum ſpectet aperto;
Non alio in ſpeculo certior illa patet.

AD
IOSEPHVM SCALIGERVM.

VELLEM *equidem,* IOSEPHE, *tua per nomina laudis*
Tendere, ſi cupido ſcala vel ala foret.
Sed quæ ſcala tuos tandem contingere honores,
Aut queat in titulos ala volare tuos?
Nulla, niſi ſcala vna tua, aut tua, SCALIGER, *ala,*
Quâ ſine, fas nulli per decus ire tuum.
Ergo aut ipſe tui ſolus ſis præco: vel illud
Si tua præ tenero Suada rubore negat;
Aut alam, aut mihi cede tuam, pro tempore, ſcalam,
SCALIGERI *in laudem ſic nouus ales ero.*

AD
IANVM LERNVTIVM.

DE *te,* LERNVTI, *verè quod ſentio, dicam,*
Totus vt es candor, ſimplicitáſque teres:
Attamen ipſe omnes, vel primo in limine, fallis,
Fallere, ſpem voti ſi ſuperare, putes.
Nam ceu gemma luto, ſcabrâ ſub cortice myrrha,
Aut ſub humo puræ fons latet vber aquæ:
Sic tu conditus opum, plus interiore receſſu,
Obuia quàm ſpondet frons tua, IANE, *tegis.*

AD

IANVM DOVZAM.

QVAEREBAM *quid,* IANE, *tibi cognominis eſſet,*
Cùm mihi, quæ Siren neſcio, in aure canit:
Tres charites, ter treſq́; cui riſere ſorores,
Diuarum à numero DOVZA *vocandus erat.*

AD

IOANNEM BOCHIVM S. P. Q. ANTVERPIENSI A Secretis.

HÆREBAT BOCHII *roſeis Dea Suada labellis;*
Vidit & inuidit plumbea Paralyſis.
Exturbare Deam parat, & velut ariete tundit
Ora viri; introrſum ſed Dea cauta ſugit,
Corde latens imo. ſic deſerto ore, diſerto
Pectore, nunc BOCHII *Suada recepta colit.*

AD

OTHONEM VENIVM PICTOREM.

ERRABAT *Natura parens, per rura, per vrbes*
Auia, & ipſius vix memor ipſa ſui,
Huc illuc incerta trahens veſtigia, (vt olim
Quæ bos ex homine eſt, ex boue facta Dea eſt,
In Phariis vaga Nympha diu) cùm feſſa viarum
Æde tuâ tandem, docte OTHO-VENE, *ſtetit.*

Hic

Hîc ea, quæ toto nuſquam ſe repperit orbe,
Tota reperta ſibi eſt, tota reperta tibi eſt.
Tempore & ex illo, quidquid valet illa venuſtum
Fingere, dexteriùs pingere id omne potes.

AD
FRANCISCVM SWEERTIVM.

OMNIA *cùm,* SVVEERTI, *violentus diuidat enſis,*
Roboraq́ʒ & pariter Gordia vincla ſecet;
Quî fit, vt è contrà nil non tuus vniat enſis?
Et pia corda piis nexibus vſque liget?
Teſtis ego, teſtis Gruterus, & ipſe Myraus,
Auſpice te, dextre conciliata Trias.
Sic ego. ſic Pallas: Stygiis fornacibus enſes
Lemnius in cædes & fera bella coquit:
SVVERTI *enſem magnete ſuo Dea Gratia tinxit;*
Hinc fit, vt ille nouo more & amore trahat.

AD
IANVM GRVTERVM.

QVOD *tibi cum Douza, tibi cum Lernutio (vtroque*
Et Phœbi & Charitum corculo, & Aonidum)
Nominis & ſtudij par conſtet ſymbola, IANE,
Cauſſa fuit primùm me bene velle tibi.
Cognomen porrò Belgarum nobile in Orbe
GRVTERVM, *à priſcis quod queque ducis Auis:*

Altera ſortè mei fuit in te cauſſa fauoris;
Sed tantùm fauor, & non ſtabilitus amor.
At verò illa tua poſtquam Venus aurea Muſæ
Auribus inſonuit, Sweertio ab ore, meis;
Ilicet arſit amor, cultuſq́ ſecutus amorem
Mancupio æterno me facit eſſe tuum.

AD IOACHIMVM TROGNÆSIVM TYPOGRAPHVM.

TROGNAESI, *Cadmæa typis effingere ſigna*
Quem iuuat, æternæ poſteritatis opus;
Da veniam, ignotus ſi forſitan hoſpes, amoris
Ipſe tui venio ſolicitare typum.
Quo licet indignus, tamen hunc præſumere fecit
Sueertius, ingenij buccina amica tui.
Nec tu, crediderim, de te ſperata negabis
Nominis auſpicio, req́ animoq́ tuo.
Nomen, res, animus noſtri dos plurima amoris:
Haccape, dos animus ſit mihi ſola tuus.

AD IOANNEM SCHILDERIVM.

ECQVID *in his tabulis tibi ſcribat amicus Amicus,*
Celtica & Auſoniæ, SCHILDERE, *docte Lyræ!*
Magna decet ſcribat, qui ſcribere carmina tentet
Digna tuo genio, digna tuo ingenio.

At

At me, quem genij finxit Natura puſilli,
Grandia cùm nequeam ſcribere, parua pudet.
Scribendum tamen eſt: ſi non duce & auſpice Muſâ;
Auſpice, qui vinxit pectora noſtra, Deo:
Seu Sancus, Fidiúſue pater, ſeu Phœbus-Apollo
Ille fuit, magnus, quiſquis is, ille fuit;
Qui nos tam valido magnete coëgit amoris,
Tota mea vt tua ſit, mens tua tota mea.
Hoc olim ventura omnis ne neſciat ætas,
Has tibi me notulas ſcribere iuſſit Amor.

AD

VIBRANDVM ANSKEMA

SIc *te Diua Thetis cognata per æquora Nereî*
Deuehat in Friſios proſperiore Noto;
Sic tibi Scaligeri, ſic Douzæ rideat aſtrum,
Et faueat reduci Leida Batauа tibi;
Dulcis vt heſternæ mihi conſuetudinis vſus,
Et fuit alloquij copia grata tui,
Muſarum decus, & Iuris Sophiæq; Sacerdos,
Aurea amicitiæ teda, VIBRANDE, *mea.*
Illam ego iam ſtabili tibi ſpondeo ab igne perennem,
Dum tuus alternâ flagret amor faculâ.

AD ALBVM

IVSTI HARDVYNII FRANCISCI POETÆ F.

ILLE *tui candor patris, & ſpectata voluntas,*
Ille alter meus, atque illius alter ego;

Te quoque, IVSTE, facit iuſto vt complectar amore,
Inq; tuo genio mirer & ore patrem.
Quare quas voluit tibi me ſignare tabellas
Accipe, cumq; tuo me patre crede tuum.

AD HORTENSIVM.

RECTE *habet,* HORTENSI: *bene me, bene te, bene vtrumque*
Candida ſollemni iunxit amore Trias,
Ambos ætate, atque animis concordibus ambos,
Et ſtudiis ambos ingenioq; pares,
Nec minùs & Genio. Phœbum veneramur vterque,
Et damus inſano nomen vterque foro:
Compede coniugij validè irretimur vterque,
Poculaq; & dulces laudat vterque ſales:
Iungere nec, pro re, Martem metuamus vterque
Pacificis Muſis, mollia plectra tubis.
Omnia perſimiles, nec lacti ſic geminum lac,
Ouum ouo, vt par es tu mihi, & ipſe tibi.
Vnum hoc diſsimiles: nil non tu poſcis amicum
Iure tuo, nil non denegat ille ſuo:
Et tibi ſtare meo leuis eſt res ſemper in ære;
At te ſtàre meo ſemper in ære graue eſt.
Non illud propter (nec enim mens æris auara eſt)
Quod mihi ſit puri nil niſi maſſa luti:
Sed tua libertas quòd ſit mihi carior illo,
Qua nequit in noſtro libera ſtare libro.

AD
GERARDVM BLASERIVM
Gandaui Conſulem.

IMPENSI, *expenſi rationem,* BLASERE, *poſcis,*
Quantulo & auctori ſtet ſuus are liber.
Hareo quid faciam. taceam? tacuiſſe nocebit.
Eloquar? ingenuus comprimet ora pudor.
Nam mihi Relligio eſt venalem exponere Phœbum,
Et mendicatâ numen habere ſtipe.
Relligio, parte ex aliâ, multo mihi maior,
Non oleum tantùm proiicere atque operam;
Demorſos vngues, ſcalptumq; dolere cerebrum,
Subuerſos pluteos impatiente manu;
Vxoris rixas vigili duraſſe lucernâ,
Affecti ſtomachi tadia cruda pati;
Publica cum priuis neglecta negotia, Muſa
Hoc ſibi dum totum vindicat vna caput:
Verùm etiam ſumptus ſumpto impendiſſe labori,
Res nimis eſt loculis relligioſa meis.
Quos, inquis, ſumptus? Conſul, ne quare, BLASERI:
Plus ſatis hos loquitur, vate tacente, liber.

AD
GODOFRIDIVM
HAFTENVM.

HAFTENE, *ex illo mihi tempore cognite, quo nos*
Auſpice Zegherio iunxit amica fides;

Nunc

Nunc quoque conſcripto mihi coniunctiſsime Verſu,
Quem tuus alterno Vinxit Apollo pede.
Aſper, & indignus meritò ſim nomine Amici,
Ni tibi ſim toto pectore amicus ego.
Mutua res amor eſt. quare tuus, auſpice Phœbo,
Obſide Zegherio, cùm mihi conſtet amor;
Abſit, Vt ipſe meum tibi non ego teſter amorem
Mente animoq́ parem, ſi minùs arte parem.
Illa, nec inuideo, tua ſit; mihi ſit ſatis, arte
Si nequeo atque fide, poſſe placere fide.

AD
ANDREAM DYCKIVM.

HANC *tuus,* ANDREA, *lento tibi mittit Amicus;*
Nil mihi reſcribas, Dædalus ipſe Veni,
Siue Atlantiades potiùs, ſeu denique Perſeus;
Vt lubet, in curſu ſit modò nulla mora.
Nam iubet hoc Prætor, qui te manet ex die in horam,
Caiáque Prætoris Lydia pulchra iubet.
Ergo Vola, iam-iamq́ Viam pede deuora Vtroque;
Nil aliud: tecum cras mihi plura, Vale.

AD
MARCVM HERTOGHIVM
Conſiliarium.

QVOD *felix fauſtumq́ tibi ſit & Vtile,* MARCE,
Quod generi latum ſit, generoq́ tuo;

Duci-

Ducimus ad feſtas Bellemia numina tedas,
Lumine ſint, oro, & limine digna tuo.
Incomtæ veniunt ſqualentia rure puellæ,
Sed datur ancillis & ſuus vrbe locus.

Ad Nob. Virum
HERMANNVM A BVRGVNDIA.
Dominum de Falaiz.

VIRTVTIS *bona fama tuæ, bona fama tuorum*
Clara per & Belgas, clara per & Senones,
Sic, FALAIZE, *tui penitum me cepit amore,*
Didar in obſequium totus vt ipſe tuum:
Succinaq; vt paleam, Clytien fax Delia, ferrum
Attrahit vt magnes, ſic trahor igne tui;
Igne, per & Moſa Rheniq; per æquora, Flandrum
Qui Scaldim incendit, corq; adeò omne meum.
Quare animi niueum ſi quid metiris amorem,
Noſtra vel eſt aliquo ſi tibi Muſa loco:
Excipe deuoti pronum tibi pectus Amici,
Excipe & hac Muſæ qualiacumque meæ
Pignora; nec nudam te cernere rere papyrum,
Verùm animi ſpeculum crede videre mei.

AD

AD
ANSELMVM OPITIVM ADVRNIVM.

CARE OPITI, *clarum genus alto à ſanguine ADVRNE,*
Dulce decus Ligurum, dulce decus Morinûm;
Si quid adhuc VRIENTI *gratum tibi nomen in ore eſt,*
Semper vt in memori pectore & ore mihi es:
Accipe cum Iano tibi paucula nata Secundo
Carmina, fida mea pignora amicitiæ.
Illa, quæ à Geminis cepit primordia Ianis,
Illam cum Iano quid renouare vetet?
Longaq; cum Ianis capere incrementa futuris?
Vt nos perpetuùm Fama loquatur anus
Auſpicibus Iani cœpiſſe, atque inde fuiſſe
Vnum non vano ſemper amore iugum.

AD
IACOBVM MARCHANTIVM.

MARCHANTI, *ſit quanta tua vis, ecce, Camœna.*
Lumine mî cupido vix ea viſa fuit,
Limine cùm toto ſe mox mea proripit hoſtis
Diffugiens tremulo tarda Podagra pede.
Viderat ignauâ fugientem Thyrſiger ala;
Reſtitit, & noſtrum quò genus, inquit, abis?
Illa nihil; ſed enim magno ſe vaſe recondens,
Rhene, tui plenum quod calet amne meri:

Da,

Da, Pater, hoc, (inquit) lateam tua filia in Vrceô,
Guttatim ad bibulos hinc reditura Pholos.
Riſit & aſſenſit Pater Euius. illa latebras
Clàm ſubit: at Phœbus vidit, & admonuit.
Hinc mihi Rhenani flos ſuſpectatur Iacchi,
Sanior ad Ligerim lecta ſed vua placet.
Hac quoque ſi tecum facit, & mox dulce madere eſt,
Veſpere tres rugas depoſiturus ades.

AD
IOANNEM BAPTISTAM TRIESTIVM.

TER *tres Pegaſides, olim mihi numina amica*
(Et, ni cura vetet, nunc quoque amica mihi)
Mî tuus immeritò adſcribit fauor, optime TRIESTI,
Contrà ego, reſcribam quod tibi, nil habeo.
Verùm habeo, & Charitum Trigam tibi dona repono
Mutua, bis dono dona minora tuo.
Quæ tamen æqua reor: nam quem bis laudibus ante-is,
Hunc dare bis decuit dona minora tuis.
Hæc ita, conueniant nobis dum cætera, ter tres
Diua in honore tibi, tres in amore mihi.

Ad Illuſtrem

FRANCISCVM MONTMORANCYVM.

BERSEI TOPARCHAM.

IN SYMBOLVM IPSIVS
Non inferiora ſecutus.

HVC *calamum, puer, & niueam mihi trade papyrum,*
Iam mea diu ſegnis ſcribere dextra calet.
At cui? MONTMORANCYO, *Phœbi aureo ocello,*
Egregio Iuueni corpore, mente ſeni:
Qui magnis Atauis NON INFERIORA SECVTVS,
Ardua Virtutis ad iuga tendit iter.
Haud tamen hoc Veneris Vel Apollinis aiite Vectus;
At Iouis altiuolà cœlipotentis Aue:
Aurea cæruleas quæ paſſa per æquora pennas
Orbe rubram medio diuidit æqua Crucem.
Indolis inuictæ, & fidei duo ſymbola, iuſto
Marte probata homini, Relligione Deo.
Nec minus illa tuis animis, FRANCISCE, *probanda,*
Infula ſeu capiti, ſeu galea alta placet.
Quiſquis eris, tuus alter ero, Iouis Armigero alti
Infima ſors Merulæ ſi placuiſſe poteſt.

Ad Illuſtriſſ.

FLORENTIVM DE LIGNE

Marchionem de Roubais.

ERGO *adeò euicit tua maſcula,* MARCHIO, *virtus,*
Et ſtudij pretium parta corona tibi eſt?
Parta tibi eſt hodie, valeat ſpes craſtina: partam
Vidimus, ô Princeps, ô Ioue digne puer!
Quid tua non nobis promittit adultior ætas,
Siue togam placidus, ſeu valida arma geres?
Tam tener & tyro, Patrum applaudente coronâ,
Si potes hoc tantum promeruiſſe decus?
O bene! quòd ſocios, quantum natalibus ante-is,
Tantum etiam ingenij flore & honore præis:
Flore, tibi ex merito nomen qui finxit & omen.
Flos tener eſt; tenero es tu quoque ab ore puer.
Flos horti decus eſt, & læti gloria Veris;
Gloria tu Patriæ, tu decus omne tuis.
Flos puer Oebalides, & erat Flos pulcher Adonis;
Tu quoque Flos Iuuenum poſtmodo adultus eris.
Tantum perge bonas, puer, efflorere per artes,
Nec tibi de vano nomen ineſſe puta.

AD

AD

CAROLVM ET FREDERICVM A BVRGVNDIA FF.

EGREGII *fratres*, BVRGVNDAE *germina ſtirpis*,
CAROLE, *tuq́; animis nil*, FREDERICE, *minor*;
Nobile par genio præſtanti, & corpore pulchro,
Ceu roſa adhuc tenero flore ſuaue micans.
O ego creſcentes effetus vinitor antes
Si bene quid monitis conſilioq́; iuuo;
Accipite hæc faciles, memoriq́; recondite mente
Pauca Maronæo carmina promta penu:
Diſce puer virtutem ex me, verumq́; laborem, (Virgil.
Fortunam ex aliis. Sic pius Aſcaniũ (Æneid.lib.12.
Admonet Æneas pater, atque exempla recenſet
Hectoris, & propriâ parta tropæa manu.
Vos quoque ſic olim per facta domeſtica Auorum
Plurima nota ſolo, plurima nota ſalo;
Ite boni, magnúmque Patrem Patruúmque ſecuti,
Ardua virtutis tendite ad âſtra viâ.
Sic neque Ledæos vobis componere fratres
Græcia, nec ſperet Flandria ferre pares.

AD

EMANVELEM A BVRGVNDIA.

DVM *mea vos nuper, Frederice & Carole, muſa*
Neglectim omiſſo fratre minore probat;

Ecce

Ecce mihi intentant ſubitam duo numina litem,
Naïs & adducto lumine torua Venus.
Iſta ſuum Narciſſum, indiſtum illa vrget Adonin.
Erubui, & iam-iam tu mihi carmen eras,
Pulcher adhuc primo EMANVEL *vernantior æuo,*
Patris honor, fratrum gloria, matris amor.
Audiit & plectrum cum voce repreſſit Apollo;
Et meus Oebalides hic puer, inquit, erit.
Erubui; &, Phœbo puerum laudante, putaui
Nil opus humani viribus eſſe ſoni.

AD
FERDINANDVM
TORRENTIVM.

PARVI *puer,* FERNANDE, *tui ſpes magna parentis,*
Et generis TORRENS *maior iture tui:*
Exiguo veluti primum ſe nomine riuus
Tollit, & ignotis in mare fertur aquis;
Mox magis atque magis voluendo viribus auctus
Intumet, & quouis grandior amne meat:
Hæc tibi certa cape afflati præſagia Vatis,
Et Tripode è Phœbi promta fuiſſe putes.
Cumq; olim matura virum te fecerit ætas,
Sis memor, & patris ſpem quoque vince tui;
TORRENTIq; *ſacrum decus, agnatiq; Salinæ*
Sal ſequere, & nulli tu ſuperandus eas;
Dum minor, & maior, dum par tibi dixerit ætas:
I bone, non vltrà te tua Ganda capit.

AD

AD

LIVINVM BAES (LATINE PERCAM) SEMINARII EPISC. GAND. Rectorem.

DELPHINEM *cœlo ſubuexit, Arione ſaluo,*
Iuppiter: at Nereus vidit, & indoluit;
Squamigeri indignans regem gregis eripi. at illum
Iuppiter vt placet, factaq; damna leuet,
Cantantem PERCAM *cœlo demiſit in æquor.*
Salſa ſed effugiens æquora PERCA *maris,*
Oceano dulces Scaldis migrauit in vndas,
Venit & ad ripas, Iulia Ganda, tuas;
Carmine Arionio ſic flumen & opida mulcens,
Eius vt ad numeros ſit noua ſtructa ſchola.
Illa quidem vetus; at recto moderamine PERCAE
Incipit à veteri non minùs eſſe noua.

AD

DAVIDEM LINDANVM.

QVALIS *apud patrij labentia flumina Liſa*
Stat Tilia, & latas explicat alta comas;
Illam non Boreas flatu, non Sirius æſtu
Vrit, at incolumem blandior aura fouet,
Humor alit, firmat Sol, educat aſsita tellus,
Vertice dum ſuperum pulſat adulta polum:

Aonio

Aonio talis iuuenis LINDANVS *in horto*
Ingenij ramos tollit ad aſtra ſui.
Aurea ſpes fama, & ſuccreſcens gloria Pindi,
Qualis in hoc Flandro rara ſtat arbor agro.

AD
MAXÆMILIANVM
A VIGNACOVRT.

SEV *de Vite tuum cognomen adeptus es olim,*
Hoc tibi ſeu potiùs Regifica aula dedit;
Vtraque VIGNACOVRTE *tibi ſors conuenit aquè,*
Ingenio Vitis, moribus aula tuis.
Vitis amat Vates, Vates inuitat Iacchus
Vitiferum Clariâ tingere nectar aquâ.
Ennius adpugnas à Vite, & Horatius ohe
Lætius ingenium Vite agitante canit.
Nulla placere diu ſine Vite poëmata poſſunt,
Vatibus eſt Vitis Vita, merúmque metro.
Hac ita. De cultu porrò diſpexerit aula,
Aptior ad mores fecerit illa bonos.
Rus abigit, Vitam polit, informátque Iuuentam,
Sed procul hunc ſcopulum cauta ſenecta fugit.
Tu tamen hanc ſequeris, claros quia ſpondet honores,
Reſpondet Votis ſera ſed illa tuis.
Labitur interea fallitque Volubilis ætas,
Et capiti canos lurida ſpargit hiems.
Nullus honos merito, nulla emolumenta labori;
Spes datur, at Vano fructus in ore perit.

Poma tua in flore, & ſemper tua meſſis in herba eſt,
Vreris in refugâ Tantalus alter aquâ.
Quin procul ergo, procul Scylla loca naufraga vitas,
Et ſtudio vites vtiliore colis?

AD
CHRISTOPHORVM VAN ETTEN.

ALCIDEN *cælum, cæli portaſſe Monarcham*
CHRISTOPHORVM *vulgo fama recepta refert.*
Vera referre puto: quis enim tam trita refutet?
Publica vox populi vox ait eſſe Dei.
Quin ego, verùm olim, Iuuentũ flos lecte, VAN ETTEN,
Suffecturum oneri te propè credo pari.
Vtq; tuus genitor Caſtrenſis pondera farris
Solus & Annona pragraue portat onus;
Sic tu vel paria aut, quondam, ad maiora vocandus,
Luctantis patriæ pondera prima feres.
Non humeris, non hac validâ ceruice, ſed alto
Arduus ingenio, & nominis augurio.

AD
ANDREAM HOIVM.

TALIA *de feno ſi carmina ſeminat* HOIVS,
Qualia non lato carmina farre feret?

AD

AD

PHILIPPVM NVMANNVM SENATVI BRVXELLENSI à Secretis.

ÆGERIAE *dilecte dea, dilecte Camœna,*
Nomine tam vero, quàm pietate NVMA;
Siccine nos Scribæ, & populo credente, poëta,
Et genio, & ſtudio, & conditione pares,
Hactenus alterni nil ſcribimus? ô pudor, ô nos
Iam nimiùm piſces Harpocrateſq; diu!
Nec Scribæ titulo, nec vatis nomine digni,
Nos contra quod res clamitat ipſa palàm.
Ergo ego rupturus tam longa ſilentia (vtrique
Vortant quod Charites & dea Muſa bene)
Præſidibus Diuis quot ſunt in amore vocatis,
Te praeo hoc ſcripto, ſit tibi velle ſequi.

XENIVM

AD PHILIPPVM TRIESTIVM EQVITEM AVGHEMI DOMINVM Gandaui Conſulem.

IANVS *adeſt, Iano ſacra rediere Kalendæ,*
Quiſque paret Xenio munera danda nouo.
Villica ſuccidias domino, farcimina Mopſus
Mittat, vt acceptis plura reponat herus;

Donet aues auceps, mullum piſcator, aprugnam
Qui ciet errantes per vaga luſtra feras:
Mentis opus carmen ſua donent dona poëta,
Conſul at annoſo pocula plena mero.
Conſulis hoc munus, vatis ſunt munera verſus,
Ille merum metris, donaq́ penſat aquis;
Virginei ſed fontis aquis, quibus omnis Iacchus
Cedat, & Heſperiis qua viret vua iugis.
An latices igitur Xenium mihi porrigis? inquis.
Haud dubiè; & tanto munere plaudo mihi.
At tibi, quos laudas latices, tu ſolus habeto,
Dixeris; in pretio ſunt mea vina mihi.
Haud renuo; nec enim multùm de vite laboro,
Sapius inuito qua rigat ora mihi:
Scilicet & madidum regem facit vuius hora,
Qui ſiccus, rurſus ſum, velut antè, miſer.
Quin aliam porrò captat, te Conſule, Strenam
VRIENTIVS, *hancq́ ſuam iure, fauore tuam.*
Atqui tute tuum capias tibi; quid vetat? inquis.
Quaſtoris Meynl ſtrictior arca vetat.
Tu tamen hanc verbo, CONSVL, *laxaueris vno:*
En, quàm pauca peto, dum niſi verba peto.

OCCASIONI VOTVM.

O DEA, *quam volucri genuit Fors mobilis Euro,*
Sinciput aucta comis, occiput orba comis:
Cui geminas alas pater Eurus, cui genitrix Fors
Addidit ambiguam, neſcia ſtare, rotam:
Fida comes dextrâ cui Spes, Timor itáq́ ſiniſtrâ;
Triſtis at elapſos flet Metanœa pedes.

Tu

Tu Dea, dum mihi te captat modò Blaſius, illi
Prona ades, expaſſis corripienda comis.
Sic ſic ille tibi pulchrum cum dote maritum,
Et dederit velo flamina lata tuo.
Aſt ego, ne pars calua tui queat vlla videri,
Flore tibi obnubam gratus vtrimque caput.

AD CÆLIAM.

QVAE *mihi de Venere & Baccho, mea* CAELIA, *narras,*
Sculpta velut cælo ſunt animo illa meo:
Et grates tibi gratus ago, quæ voce rotundâ
CAELIA *nil celas, quod mihi turpe putas.*
Nil tamen à Venere eſt: ſed ſi quid peccat Iacchus,
Ille tuo iuſſu mox Achelous erit.

AD IOANNEM TORRIVM CONSILIARIVM.

TERNA *homini mala ſunt, Vnda, Ignis, Femina,* TORRI:
Hæc tria fatali ſunt data lege mihi.
Frigida de cerebri delapſa canalibus vnda,
Materies podagræ, ſtipat vtrumque genu;
Aſt dolor internas ſic exedit igne medullas,
Vt minor Ætnæi flamma ſit vlla rogi:
Tertia litigio me femina vexat iniquo;
Ne poſſim multo non miſer eſſe malo.

Sed flammam atque vndam quaquâ ratione feremus,
Naturâ auxilium non renuente ſuum;
Importuna procul dum femina ſola faceſſat,
Muſca mera, & mera Strix, tota Hecuba, atque canis;
Allatrans, rabiéque calens, & litibus inſtans,
Indole pro ſexus garrulitate grauis.
Hanc mihi tu TORRI, *vir conſultiſſime* TORRI,
Aut iure, aut aliâ, quâ pote, tolle viâ.
Omnibus ipſe mihi ſic Turribus altior vnus,
TORRI, & ἀλεξικάκῳ *vindice maior eris.*

AD
IANVM LERNVTIVM.

ÆREA, IANE, *tuo tibi donat munera menſe*
VRIENTIVS, *eliceat aurea vt ille tua.*
Inſidias, dices, & fenora munera VRIENTI.
Non nego. ſed dicam qualia, IANE, *tua?*
Nil, plumbum, atque aurum tua dicam munera IANE,
Nam citò quæ dederis, aurea tota dabis;
Plumbea, quæ ſerò; nullo quæ tempore, nulla.
Diſpice nunc tecum, quæ dare, IANE, *velis.*

AD
IODOCVM SCHOLLARDVM SCHOLARCHAM
Gerardi-montanum.

MIRABAR *tacitus quânam ratione Gerardi*
Semper inexhauſtas Mons iaculetur aquas,

Phœbum

Phœbus ad hæc: Non hoc humentis viſcera terræ,
Spiſſa nec in latices aura ſoluta facit;
Sed quacumque colit tandem regione SCHOLARDVS,
Illâ eâdem Clariæ fons ſcatet uber aquæ.

AD
IANVM BLOOTAGRIVM CANONICVM.

IANE *ſiles. laudo: nam laus eſt poſſe ſilere;*
Sic monet Harpocrates, Pythagoraſq́ue ſenex.
At dum muta recens ſilet illa tua aurea lingua,
An decet & calamum, IANE, *ſilere tuum?*
Non hoc, quæſo, velis; nec ſit graue ſcribere paucis,
Importune nimis, Maxmyliane, vale.
Ne valeam, ni ſic valeam: nam vel tua, IANE,
Iurgia ſunt auido mella fauorq́ue mihi.

DE IVSTO LIPSIO.

QVAEREBAM *Phœbum Phœnix verè an foret vl- lus.*
Annuit; & Grudios innuit, ac ſiluit.
Cùm mihi neſcio quis dextram quatit Africus aurem.
Fallor ego? an Phœnix Africus ille fuit?
Audio. at iſte nouus quiſnam precor Africus? ille
Hinc, cui IVS-*nomen*-TVS *dat & inde ſuum.*

AD

R. CORNELIVM COLVMBANVM

D. PETRI IN MONTE BLANDINIO ABBATEM.

MAGNE *Pater, quem* BLANDINII *ſublimia* MONTIS
Culmina, demiſſo vertice prona colunt;
Quem Scaldis Pater, & formoſo flumine Liſa,
Hinc atque hinc geminâ lambit & ambit aquâ;
Adſpice, ſed facili, velut adſpicis omnia, vultu
Pauca tui VRIENTI *ſcripta dicata tibi.*
Non genio ingenióue, ſuâ ſed rite probanda
Materie, aut ſolo fortè fauore tuo.
Hoc ſit, & vt parua hac, paruo quoque crede litari
Ture Deo, & dignum te quoque finge Deo.

AD

CORNELIVM HERTOGHIVM

Quæſtorem.

NATALI *bona verba die fas dicere* CHRISTI:
Dicimus, & metricis verba ea vincta modis.
Dóque dicóque tibi, noſtri velut obſes amoris
Pignus, & illa tibi grata venire precor.
Mutua non poſco, quamquam maiora petenti
Nemo neget veſtram ſæpe dediſſe manum.

Si

Si tamen eſt aliquo tibi me donare voluntas,
(Semper vt eſt animi regia aperta tui)
Nil ego pugnabo, verùm hactenus, vt tua ſerues,
Et mihi de noſtro carpere poma ſinas.

AD MANILIVM Typographum.

DEBEBAM *nec debebam tibi, terſe* MANILI:
Embryo debebat noſter Apollo tibi:
Debebat rudis atque infans mea nupera Muſa,
Ah temere illa tuis elatebrata typis!
Hoc ita. Sed ſortem pariter cum fenore ſolui,
Debeat vt nihil hic & nihil illa tibi.
At tibi nunc rurſum me vis debere, MANILI,
Vatis obaratum carmine Ianigenæ,
Ianigenæ, per te perq́; & ſua nomina clari,
Qui nouus è prælo te mihi dante venit
Gratum adeò munus, nihil vt conferre potis ſit
Gratius ad genium Gratia dia meum.
Ingenio tantum ille ſuo delectat & arte,
Seria ſiue canit, ſiue iocoſa canit.
Quare, ego ni fallor, caneſcet, & Inuidiâ ipſâ,
Atque adeò inuitâ Ætate vireſcet opus.

DE

ACTIO SINCERO NEAPOLITANO ET LIVINO TORRENTIO BELGA POETIS.

QVANTVM *Parthenope* SINCERO *aſſurgit alumno,*
Parthenope Auſonij gemma decuſq; ſoli;
Tantum Ganda ſuo TORRENTE *decora ſuperbit.*
Vate ſuo hæc felix, nec minùs illa ſuo.
Mantua Virgilio, ſic ſe Verona Tibullo
Laudat; & hinc Atheſis, Mincius inde tumet.
Clarus vterque amnis, præclarus vterque Poëta;
Maior at ille ruit, lenior iſte fluit.

AD ALBVM

IOANNIS BAPTISTÆ TRIESTI.

Annæ Perennæ S.

PALLADIS *auſpicio, ſtudio atque calore Perenni*
Me tibi qua ſociet, téque, TRIESTE, *mihi.*

AD ALBVM

IANI LERNVTI

Ioui Sanco S.

QVI te, IANE, mihi, qui me tibi ſanxit amore:
Quem neque lis, nec vis, nec dea ſoluat Eris.

AD ALBVM

IOANNIS VAN HAVRE WALLÆ DOMINI.

Diuę Monetæ S.

QVAE, precor, aratis inſcribat vtrumque tabellis,
Meque tui moneat, téque, VAN-HAVRE, mei.

AD

FRANCISCVM HARDVYNIVM.

GRATVS es, HARDVYNI, patria intra mœnia Gandæ,
Eſt ingrata tua ſed ratio iſta fugæ.
Quod facit ad Nilum lambens canis, hoc facis ipſe.
Fallor? an hîc etiam trux Crocodilus hiat?
Neſcio. ſed cùm ſit nihil hîc niſi pontus & aër,
Haud mirum eſt, ſi ſors hîc quoque monſtra latent.

AD POSTHVMVM.

SCRIPTVRVM ſemper te dicis, POSTHVME; ceſſas
Semper, & haud ſcribis, ſed magis vſque bibis.

Vt poſthac ſcribas, vt verum, POSTHVME, *dicas,*
Proſcribat crebrum ſobria Muſa merum.

AD
CORKIVM SVBERINVM.

NOSTRA *tuis tabulis depoſcis nomina,* CORKI:
Ecce tibi ad tabulas nomina noſtra tuas
HarduynI & VRIENTI; quorum tu ſi videas cor,
Non ſecus hîc dextræ ſigna vtriuſque vides.
Ilicet attonitus mirere, videre tuum cor,
Córque tui VRIENTI *corq́ tui Harduinij:*
Tam bene nos vnos, non vno nomine, conſors
Gratia concordi iunxit amore pares.

AD
ROBERTVM SCHILDERIVM.

ET *petis, & cupio, & nomen tibi,* SCHILDERE, *pono*
Victurum chartæ virginis in ſtadio.
Sed fragilis virgo eſt, ſtadium breue: num breuis ergo
Sic erit & fragilis VRIENTII *amantis amor?*
Non ita. quin fluxo quod arauit in æquore penna,
Hoc fidei æternis ſculpſit Amor tabulis.

AD

AD

IACOBVM BAVIRIVM.

BAVIRI, ſi fortè iuuat poſtponere nugis
Seria, & vrbanos auribus eſſe iocos;
Nugator conuiua, tuis facturus orexim
Auriculis, vmbrâ concomitatus ero:
Vmbrâ, non piceâ, aut Stygij de valle profundi,
Ne me cum tali iuſſeris eſſe foris;
Verùm vmbrâ, & niueâ & porrectâ fronte ſerenâ,
Quamq́; animam poſſis dicere Democriti;
Cuius tu ſalibus ſemel vt laxaueris aurem,
Aut nihil, aut auris, quantus es, eſſe voles.

AD

IANVM LERNVTIVM.

ÆS tibi dat VRIENDVS. quale æs? tu qualis & ipſe es,
IANE, nec ès, ſed & es; ni quòd es, eſſe neges.
Es Vates, Vateſq́; tibi donatur. at ille eſt
Æs teres, es totus tu quoque, IANE, teres.
Nec tamen ipſe æs es; potiùs ſed candor & aurum es:
At cùm non fueris, æs quoque fórſan eris,
Vt meus hic Vates; olim qui temporis aurum
Grande fuit, nunc æs nil niſi, IANE, breue eſt.

AD

AD
FRANCISCVM SWEERTIVM.

QVID facit is, SVVEERTI, vitam qui mortuo ademptam
Reddit, & à buſto dat ſupereſſe ſuo?
Hoc facit, Aſſyria ſibi ſola quod efficit ales:
Hoc facit, Ortelio quod facis ipſe tuo;
Ortelio, amiſſo nuper quem lumine luci
Reddis, & inuitâ viuere morte facis.
Macte animo, macte hac, SVVEERTI, pietate: ſepulto
Quod facis, hoc alius fecerit ipſe tibi.

AD
IOANNEM BOCHIVM.

AVOLAT à Patria Harduynius, te, BOGHE, reuiſit:
Cur nunc Harduynium non licet eſſe mihi?
Sum tamen Harduynij, meus eſt Harduynius, ille &
VRIENTIVS, atque animat nos anima vna duos.
Harduynio fugiente, tuus tamen hîc ego ſolus
VRIENTIVS, ipsâ animâ diffugiente, moror;
Et moror, emoriórque meo te, BOGHE, fruente
Harduynio, quòd non te quoque & eſſe fruor.
Ergo nec Harduynius iam ſum, nec VRIENTIVS ille,
Æqua tui quòd non copia vtrique palàm eſt.
Eſt tamen vtq; meus præſens Harduynius; abſens
Sic ego te pariter, vindice amore, fruor.
Atque vtinam me, BOGHE, tibi par vindicet ardor;
O nihil Harduynio tunc ego vt inuideam!

AD

AD
GISLENVM BVLTELIVM CLYTIVM
Equitem.

NEC *me deſtituit, mihi nec Rex Numus abundat;*
Cauſa tibi podagra non bene nota mea,
BVLTELI GISLENE *tibi, cui Plutus in arcâ,*
Bella Venus thalamo, Liber in ore frequens:
Et Pluti, & Bacchi, Veneriſque ancilla Podagra
Dignior eueniat: nulla ſed ô veniat!

AD
IEREMIAM PIERSSENÆVM.

VESPERE *ades ſero, ſummo mox manè recurris;*
In pede Mercurium quis neget eſſe tibi?

AD ALBVM
LEONIS MEYERI.

TVNE *tuis etiam,* LEO, *me dignare tabellis?*
Parce; negat numeros condus Apollo mihi.
Promere ſed numeros propè Lautius imperat; illi
Pareo, & hoc quale eſt cumque, tibi pario.

AD
MICHAELEM SECLYNIVM.

O ANIME, ô animi aura mei, SECLYNE, quid illa,
Illa tui & voti meta ſuprema mei,
Aut valet? aut noſtri curam fouet aurea tota
Cælia, Durlai Iuno pudica tori?
An redit? an cupidum reditus ſpe ludit Amicum,
Non pote ab Elyſio ruris abeſſe ſui?
Hoc auidè, hoc timidè; metuóque aueóq; viciſſim,
Et velut à gemino mens ſalit icta Noto.
At tu, ſiderea cui facta eſt copia forma,
Hauſtáque ſecreti ſemina colloquij;
Quid timeam, aut potiùs ſperem, mihi candidus effer,
Candida ſic faueat Gratia Amórque tibi.

AD
ANTONIVM TRIESTIVM CANONICVM.

AVSPICIBVS Iani Xenium donare Kalendis
Mos iubet à priſcis rite receptus auis.
Strena tibi, TRIESTI, mea ſit, Nilotica proles,
Candidulos atro rore inarata ſinus.
Candorem Melo, nigrorem ſepia, aratrum
Anſer auis, formam Cadmus habere dedit,
Rore alitur, roremq; odit; commercia nutrit,
Et belli & pacis ſemina certa ſerit.

Lin-

Linguâ & voce carens, linguas ſe pandit in omnes,
Orba pede atque alâ per loca cuncta volat.
Corrumpi facilis Pylios perdurat in annos;
Nata recens canet, mucida flauet anus.
Temporis & rerum teſtis fidiſſima, famam
Prorogat alba bonis, prorogat atra malis.

AD AVBERTVM MYRÆVM CANONICVM.

NE *mirere*, MYRAEE, *tuus ſi ceſſet Amicus*
Scribere; res mira eſt, ſcribere quæ vetuit.
Eſt quædam Cornix, Cornix Æſopica, pennas
Eripuit Muſæ quæ plagioſa meæ.

AD COTTAM.

COTTA, *memor quondam, nunc immemor omnis Amici,*
Læta parum Lethe ſit velut hauſta tibi.
Dic rogo, quid noſtra monſtri ſpeculatus in æde es,
Totus vt hinc referas, ceu canis icta, pedem?
Afer an in noſtro quis limine ſibilat anguis?
Noctis an in ſummo culmine ſtridet auis?
Ater an in mediâ quis Cerberus excubat aulâ,
More tuo in veſtes mordicus, inq; nates?
An tibi conſpectus quis neſcio cercopithecus?
Aut Lamia, aut thalamo ſuccuba digna tuo?
Neſcio quid certè eſt: noſtro niſi prægrauis ære,
Forſitan huc metuas ære venire leuis.

AD
FRANCISCVM RYMIVM HVNDELGHEMIVM
De Laurea ſua.

AVREA *pacta mihi, quidnam mea Laurea ceſſas?*
Aurea quid ceſſas Laurea pacta mihi?
Te manet hic vertex, per te ſeſe altior olim;
Te manet Aonio lota liquore coma.
At tu Laure veni noſtra noua gloria fronti,
Munus, io, Patriæ nobile, Laure veni.
Crede mihi, Daphnen numquam magis arſit Apollo,
Te te ego quàm toto pectore pronus amo.
Nec ſic Laura ſuo celebrata puella Poëta eſt,
Quàm tua mî curæ gloria ſemper erit.
Tantùm Laure veni: ſic te neque fulminis ignes,
Nec Canis æſtiuus, cana nec vrat Hyems:
Sed tibi perpetuum Ver ſpiret, & aura Fauoni,
Aut potius RYMI *largiflua aura mei.*
Illo auctore meis deſponſa es Laure capillis,
Illo auctore mihi ſemper amanda veni.

AD
IOANNEM BOCHIVM.

IPSE *meis oculis quem ſomnum hac nocte negaui,*
Impendi ſtudio, BOCHI *abiture, tuo.*
Ne mirere: ſuis quem præfert Phœbus ocellis,
Hunc oculis decuit præpoſuiſſe meis.

AD

AD

GABRIELEM IANSSENIVM Scholarcham.

VRBIS *Aloſtana*, IANSSENI, *gloria, quis te*
Aut Phœbum, aut Phœbo non geminum eſſe putet?
Carmina Caſtalium Phœbus modulatur ad Ocrim;
Tu canis in mediâ carmina plura ſcholâ.
Vna Deo Phœbo conſors velut apta Minerua eſt;
Apta toro conſors nec minùs vna tuo eſt.
Ter tria ſunt Phœbo cœleſtia pignora Muſa;
Et tibi ter tria ſunt pignora certa domi.
Semper egent querula doctâ cum Pallade Muſa;
Atque aliquo pueri ſemper & vxor egent.
Turba petax Diua Phœbum vſque in vota fatigant;
Frangit & illa tuum turba moleſta caput:
Tu tamen hac inter numquam non carmina condis;
Phœbo IANSSENIVM *quis geminum eſſe neget?*

IN OPVSCVLA EIVSDEM.

FLAGRIFERI *matula; gens imperioſa, Scholarcha*
Hac data queis rauco ſemper ab ore ſonat;
A quibus & Muſa, & longè declinat Apollo,
Femina, mas, neuter quos neque ſexus amat;
Ite procul duri, ſtirps Orbiliana, Magiſtri,
Non facit ad genium veſtra ſtribligo meum.
At cui ſe facilem pater inclinauit Apollo,
IANSSENIVS *qualis rara triumphat auis;*

Seria ſeu Tragicus, ſeu tractet Comica latus,
Siue alio aut alio carmine condat opus;
Ille mihi ante omnes ſit dignus honore SCHOLARCHAE,
Ille ſuo in ludo pane Monarcha mihi eſt.

AD
FRANCISCVM HARDVYNIVM.

QVI dicam fieri, HARDVYNI, *ſi fortè vel Aulâ,*
Rure, foro, aut quouis iungimur ambo loco;
Tunc mihi tuncq; tibi ne gutta Poëſios vndet,
Aridior veluti pumice vena foret?
Diuiſis contrà Clarius ſic effluat humor,
Caſtalio amne velut potus vterque foret?
An Venus vt ſocios, ſocios odere Tyranni,
Odit an & vates ſic domus vna duos?
An magè diſcidium metuit riuale Thalia?
Néue ſit in nobis zelotypia cauet?
Hauſtus an aſſiduè Phœbum proſcribit Iacchus?
Et Bromij ad nectar non facit humor Equi?
Neſcio quid certè eſt, tu dic, FRANCISCE, *rubeſcis.*
Fallor? an ingenuo Liber in ore calet?

IN ADVENTVM
ET
PRÆCIPITEM FVGAM EIVSDEM.

VENIT, *libat, abit, ſimul hac tria ſtans pede in vno*
HARDVYNIVS, *venit ſcilicet vt fugiat.*

AD

AD BETICVM.

BETICE, tot ſteriles pro carmine dicere grates
Quid iuuat? haud equidem verba ego nuda moror.
Quin magè, ſi qua tibi de me bene cura mereri eſt,
Aulica verba aliis, da modò vina mihi.
LAC pueris, ſenibus mulſum, ſunt grata puellis
Oſcula, ſunt vati pocula grata meri.
O ſi fortè mero ſcateat fons ille Caballi,
Quàm mihi tunc Helicon Cirrhaq́; grata foret!
Tunc tunc perpetuà me luſtret amyſtide Phœbus,
Tunc vocet ad choreas me Dea Muſa ſuas:
Tunc ego vel Flaccus, vel ſim magè diuus Homerus,
Tunc ego ſim tali flumine totus olor.
Res mihi grata quidem, Muſarum ad Templa vocari;
Res magè grata meri pura ſaliua meri.

AD
LIVINVM STICHELIVM.

CENTVM ego tranſmiſi Ioualis, STICHELE Sepes,
Saxa per & ſalebras raptus amore tui.
Et veni, & veſtram peruentum gaudeo in vrbem,
Te tamen in mediâ non fuit vrbe frui.
Ergo ego tranſmiſſas doleo tot, STICHELE, Sepes,
Facta quòd eſt cupido nulla vel vmbra tui.
Sed, puto, Gandaui dabitur te cernere coràm,
Sunt vbi tot lepidi perpetuíque Phoëi.

Ocyus hac iter eſt, iam- iam puer iniice frenum
Cornipedi; nimia eſt, quantalacumque mora eſt.
Curre viam, celeri pede conductitie curre,
Curre, meus ſemel vt Pegaſus eſſe queas.
Venimus ad calcem, Salue, ô mi STICHELE, *Salue,*
Salue anime, ecquid tu, ſaluáque cuncta tua?
Viuimus? an Curios ſimulamus fronte ſeueros?
Quid tibi cùm curis, quid tibi cum Curiis?
Viuamus potius, potemus, & inuicem amemus:
Quis ſcit an hîc Lacheſis nos volet eſſe diu?
Vita bonum fragile eſt, volucríque ſimillima vento;
Quæ velut vmbra fugit, nec reditura fugit.
Nulla lacu Stygio viret vua, fruamur amici
Hîc Bromio & nardo dum licet, eſtq́; bene.
Sic eat, & merſis iteratâ in amyſtide curis
Perdendam hanc lucem STICHELII *vrat amor.*

BIBENDVM ESSE
Ex imitatione Anacreontis.

TERRA *parens venis ſitientibus imbibit imbres,*
Tellurem atque imbres arbor alumna bibit.
Oceanus ſalſo ſparſos bibit æquore ventos,
Sol auido Oceanum flammeus ore bibit.
Solis inardentis radios bibit ebria Luna,
Rurſus & hanc Euri, Terra, Salúmque bibunt.
Cuncta bibunt, ſurſum ſpirantia, ſiue deorſum.
Dis Styga, DI *pleno nectar ab ore bibunt.*
Omnibus ergo ſimul cùm ſit lex vna bibendi?
Cur homines ſimili non quoque lege bibant?

AD R. FRANCISCVM SCHOVTHEETE TRVNCHENII ABBATEM.

QVAE tibi ſunt patriæ gentis cognomina Præſul,
Præſul, TRVNCHENII quē veneratur ager;
Teutonico ſermone monent vitare calorem,
Sed vetat hoc ſiccos qui Canis vrit agros.
Attamen vt vites rabioſi ſideris æſtum,
Larga tibi Bromij nectaris vnda fluat.
Scilicet hæc flammas nimióſque refrigerat ignes,
Et leuat Aonio gratior amne ſitim.
Aonij laticis non nobis copia deſit,
Fac quoque ne deſit nectaris vnda tui.
Sic liceat duplici depellere rore calorem,
Nomen & effectu concelebrare tuum.

IN MERILINGVM.

DVM madet imprudenſq; ruit MERILINGVS in amnem,
Siccine deceptum mors fera perdis? ait.
Naufraga ſi Iouis arbitrio me fata manebant,
Debueram medios inter obire Scyphos.

AD

AD ANDREAM KETHELIVM.

SI tibi terreſtris placet & ſine ſanguine cœna,
Si ſal Mercurij daps & inemta placet.
Eſſe meus poteris conuiua, diſerte KETHELI,
Eſt mihi larga ioci copia, parca cibi.

LVDVS POETICVS:

DOCTA Trias, Veneranda Trias, Trias aurea, Neelſi,
Cum Patre Ruuſchueldo, Bacherioq; Patre,
Egregij ſaluete Viri. ſic Phœbus-Apollo,
Sic Bacchus pater, & Muſa iocoſa iubet,
Hic lauru, hic thyrſo, citharâ illa inſignis eburneâ,
Vos Duce Ianſſenio Viſere, læta Trias.
Scilicet Vt ſtructis celebret conuiuia menſis,
Cum dape, cúmque mero, cum ſale, cúmque ioco.
Hoc ſit, & hîc regnum ſtatuat ſibi lege perenni
Læta hominúmque Trias, læta Deúmq; Trias.
Quare age, quod Muſis, bene quod ſit Phœbo, & Iaccho,
Quod mihi, & Harduynio, Ianſſenioq; bene;
Da mihi ſerta puer, da Vina, grauémque trientem,
Da nardum, & plenis funde merum cyathis.
Funde, tribus Triadem iuuat exhilarare culullis:
Quis ſcit an hæc iterum ſit ſocianda Trias?
VITA fugit, celeres deuoluunt ſtamina Parcæ;
Ergo Viuamus, dum ſinit hora breuis.
Sed nunc & Vini & ſatis eſt dapis, atque leporum,
Nox ruit, & ſomnos ſidera prona Volunt.

Ite domum madidi, venit Heſperus, ite Poëta:
Claudere iam riuos, claudere clauſtra decet.
Claudite, ſic fas eſt, ſimul hinc ſimul imus, abimus.
Bella Trias ſalue, ſalue & amica vale.

AD

LVDOVICVM LAVTIVM
ET
SIMONEM KERCHOVIVM.

SI *tibi* KERCHOVI, *tibi ſi lautiſſime* LAVTI,
Partem de ſolido tollere dulce die eſt:
Adſitis faciles facili bona copula cena,
De ſubito inſtruxit quam coquus, æquus Amor.
Si daps lauta minus vel conda lagena placebit,
Ille bonis animis non placuiſſe nequit.

AD FROIDVRIVM.

DIC *rogo,* FROIDVRI, *quid agis dulciſſime rerum?*
Sedulus an ſcribis, belle anime, ánne bibis?
An magis officium facis indefeſſus vtrumque,
Sedulus ad calamum, ſedulus ad cyathum?
Otia Phœbus amat, & amant alterna camœna,
Dulcis & hinc Liber ridet, & inde liber.
Quare ego, dulce caput, ſic te quoque viuere credo;
Et peream, vita ni modus iſte mea.
Seu tamen hîc fallor, ſeuſim magè verus Apollo,
Quidquid agis ſcribas, nec minus inde bibas.

AD

IOANNEM VAN HEEDE DYCQVIÆ DOMINVM.

SI *cenare voles ſimul &, VAN HEEDE, iocari,*
Eſſe ſales niueos & ioca nuda veni.
Longa alij luxu Saliaria fercula ponant,
Eſt mihi Democritus, non Sybarita, coquus.

AD

IOANNEM STVLLIVM Medicum.

ACRI *malum, crudele malum, Styge nata chiragra*
Dextram habet, & miſeros lancinat articulos.
Sed neque tam doleo tali me peſte teneri
Inſomnem, & toties non moriendo mori;
Quàm piget aſſuetis non poſſe vacare tabellis,
Et paria alternis reddere verba notis.
Hac igitur cauſſa eſt, cur ſcribere ceſſet Amicus,
Qui queat? offenſam perdidit ille manum.

AD

AD FRANCISCVM ET GVILIELMVM NORMANVM FF.

IAM bis quinta Polo lux humida ſurgit ab atro,
Cùm me continuò lectus & horror habet;
Lectus iners, horrorq́; grauis, cui cauſſa podagra eſt,
Et podagra inſanæ dira chiragra comes.
At vos interea, immemores languentis amici,
Diffugitis noſtrum lentus vterque larem.
Cur ita? num morbi contagia fortè timetis?
Atqui me penitus ſic amat ille ſuum,
Vt neque Liligerum præ me velit ille Monarcham;
Vſque adeò in noſtro dulce cubare ſinu eſt.
Huc, huc ergo pedem ſecuri ferte; vel ipſum,
O Podagra, hinc aliò me ſine ferre pedem.

AD IVDOCVM KERCHOVIVM PRÆCEPTOREM.

ME propè Mors ægrum Campum diuexit ad illum,
Cuius tu Flandro nomine nomen habes.
Quin etiam totus nunc, KERCHOVE, *langueo; Chiron*
Heu propera Æaciden viſere, quæſo, tuum.

Ad Illuſtriſſ.

LADMORALDVM DE LIGNE SACRI IMPERII ET LIGNE Principem.

MARMOREAS *ſine luce domos, nigra tecta ſilentum,*
Verſibus illuſtras dum, pie LIGNE, *tuis;*
Hoc facis, vt vocem mutis, vt lumina cæcis,
Vt vitam exſtinctis ſis dare viſus Auis.

AD EVNDEM.

ET *genus & nomen tibi Linea donat auitum,*
Docte Comes, Ligni ni magis omen ames.
Fronde viret lignum; viret & tua gloria LIGNE,
Aucta Patrum titulis, nec minùs aucta tuis.
Verùm homini & ligno ſua linea cùm ſemel inſtet
Laudibus inſtabit linea nulla tuis.

AD IANVM LERNVTIVM.

CENSVRAE *quæ*, IANE, *tua mea ſcruta reliqui,*
Laſſarunt oculos ſi ſatis illa tuos;
Vlterius vomitum ne fors tibi lecta laceſſant,
Vre, vel ad dominum ſpreta remitte ſuum;
Nata breui vt breuè morte cadant, mortē ante Parentis
Natorum exemplo vel Priami, aut Niobes:
Vel genio ſi fortè tuo placuere; fruantur,
Sed quem debebunt, lucis honore, tibi.

MAXÆ.

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER V.

Ad Nob. Virum

GISLENVM BVLTELIVM CLYTIVM EQVITEM.

GISLENE, *Aonij fons & pater ipſe lepòris,*
Saluere illepidus te iubet iſte liber.
Eſt nouus, & ſalſus; poterit nouitate placere,
Si ſale diſpliceat forſitan ille ſuo.
An capis? an renuis? quod vis, potes. at cape, ſalſus
Sit licet; hoc auum fortiùs ille feret.
Sin renuis, ſalq; acre fugis; tu quidquid in illo
Peccat, amicitia corrige melle tua.

DE SCRIPTIONE

IVSTI LIPSII.

NIL *meliùs* IVSTO, *nil peius ſcribit eodem;*
Diſſidet ingenio dextera, mens calamo.

 Audiit

Audiit hanc litem Plantinus, & arbiter æquus
Tam graue diſſidium ſuſtulit arte typi.

AD BRVGAM FLANDRORVM.

BRVGA Vale: *ſemper tibi me debere fatebor,*
Quantum ego non magnis debeo Pariſiis.
Quantum non Grudiis, Belgi licet Orbis Athenis,
Quantum non toti Gallia & Auſonia.
Hoc tuus ille facit Lernutius, Vrbis & inſtar
Orbis inexpleti qui mihi ſolus habet.
O Diuûm domus! ô rerum pulcherrima BRVGA!
Quæ ſatis ad laudes laus erit apta tuas,
Vnus ſi Ciuis Vrbem tuus & facit orbem,
Mille Vir à ſtudio, mille Vir ingenio?
At nimis ipſa tibi peregrina ignotáque BRVGA,
Pæne tui tanti neſcia delicij.

AD CALLIODORVM.

QVIS *putet inuitis oculis nos poſſe videre,*
Quæ decet eſſe animo grata mage atque oculo?
Et tamen hoc nuper vidi inuidíque remiſſo
Mi Bochio, æterno Principis elogio,
Tum gemina ſimul Heſperia Belgiq; Triumpho.
Hei mores hominum fœdaq; ſæcla nimis!
Et quis adhuc tenerum mihi rodere ſuadeat vnguem,
Et cerebrum & lippos euigilare oculos?
Vt ſcribam, vt pangam, & ſcripto mox carmine plangam
Vix venire obulis tot mea ſcripta tribus?
At gumia & rabula, venalis turba, taberna
Conducta pretium litigijq; ferunt.

Solus inops, Muſa cum paupere, ſordet Homerus:
Ergo Muſa vale, pauper Apollo vale.
Quid mihi vobiſcum? iam famam & carmina pono,
Si cum ſpe fama pæne ego ringo fame.

IN FVRIVM.

NON *ita, non,* FVRI, *famam cum carmine pono.*
Quin calamo pingam te priùs ipſe meo.
Quî tamen effingam; ſi, ceu rota vertitur anceps,
Tu quoque ſic habitum vertis & ingenium?
Vertumnus, Proteus, Sphinx, Scylla, Chamæleon, vnus
Omnia, larua & homo, nullus & Ardelio.

IN SCILLAM.

RVMOR *ait conſtans te,* SCILLA, *odiſſe poëtas,*
Omnes mendaces ſcilicet, atque leues.
Ergo aliquis, poſthac ne de te vana loquatur,
Te, quod es, Arcadicum dixerit eſſe pecus.

IN PONTICVM.

ADSCRIPTVS *Patrum es numero; ſtatua ergo tacere,*
Os vel ad alterius, PONTICE, *diſce loqui.*
Quòd ſi vel muſſes, va: depontabere, & illa
Emta tot obſequiis mox tibi Villa perit.

IN TROSSVLVM

STEMMA *tuum ruri & famulatum*, TROSSVLE, *debes,*
Et nouus in noſtrâ nobilis Vrbe cluis.
Mirabar; cùm clàm tacitam mihi rumor ad aurem
Vnâ ſic fungos creſcere nocte refert.

IN CINNAM.

ET *nihil & minimus tibi*, CINNA, *eſt Maximus: at tu*
Quàm nihil es, per Nil qui fueris aliquis.

IN FANNIVM.

TRES *tibi ſunt*, FANNI, *Charites, quas nolo latere,*
Omnibus vt virtus ſit manifeſta tua.
Liuor iners oculis, tibi dira Calumnia in ore eſt,
Corde Dolus: Charites has ſimul vnus habes.

IN NÆVOLVM.

LAVDIBVS *aut vitiis memorandis nata Thalia eſt;*
Ornet vt illa bonos, vexet vt illa malos.
Pronior illa tamen per nomina fertur honorum;
At neque ſic mendax, ſed magè blanda Dea eſt.
Vnus at eſt, fateor, peccati NAEVOLE, *naeuus:*
Cùm te laudaret, tunc Dea falſa fuit.

IN

IN PONTICVM.

CARMINE vis longo celebrari, PONTICE: rectè,
Longa cui fiat littera, dignus homo es.

IN MANGONEM.

MANGO tribus ſellis dominam contendit in Aulã
Se tamen anguſtè MANGO equitare dolet.
Stet, ſedeat, iaceat, MANGONEM anguſtia ſemper
Paupere mente animi, diuite re cruciat.
Ergo illi vt miſero ſua tandem anguſtia ceſſet,
Ex merito anguſtè pendeat; & valeat.

IN STELLIONEM.

ET falſi & furti reus es manifeſtus; & audes
Velle bonos inter, STELLIO, haberi aliquis.
O pudor! ô leges! vbi Sluſa? vbi Spinula? viuis?
Et ſcelus ad remos non ſedet iſte tuos?
Tranſtra, foros, remos, & degrauet vnda Triremes,
STELLIO ſi nequam diffugere iſta poteſt.

IN CODRVM EXCELSVM.

QVI nuper ſiliquis, & vappâ, & farre canino
Ingluuiem poteras vix ſatiare tuam;
Ignauámque cutem pannis malè tectus & annis,
Nil niſi per plateas ſqualor & horror eras;
Nunc nouus ex Iro, ſpoliorum munere, Crœſus,
Nil niſi delicias, diuitiáſque crepas,

Elatóque animo tantùm alta excelſaq́; adoras,
Et bene; ſed celſam ſis memor eſſe Crucem.

IN TVRNVM.

ET *iuuene & pulchrâ deſertâ,* TVRNE, *puellâ,*
Inſequeris celeres per vaga luſtra feras:
Et velut Hippolytus, veluti venator Adonis,
Fronte palàm laui manè videndus abis:
Bella viro interea dum ſe tua commodat vxor,
Corniger Actaeon nocte redire potes.

IN MAMVRRAM.

EBRIVS *inuitas, premis, inſtas, pallia vexas,*
Prandiáque & cenas & tua vina crepas:
Sobrius excuſas, conuiuas, prandia neſcis.
Sterte ſatur, ſiccus manè, MAMVRRA, *voca.*

IN PONTICVM.

OCCVRRIS *quocumque loco mihi,* PONTICE, *ſemper,*
Quid facis? an Baccho, VRIENTI, *operamur? ais.*
Otior, & Bacchi piget, inquam. protinus ergo,
Ceu canis à Nili deuius amne, fugis.
Officioſus homo es. ſed verum vt, PONTICE, *dicam,*
Non tibi cura mei, ſed tibi cura meri.

IN

IN GALLVM.

LAVDABVNT alij longè te, GALLE, ego punctim:
Primus & es Phœnix, GALLE, tui generis.

IN EVNVM.

SI GENVS & proaui, ſi quæ non fecimus ipſi,
Nos aliquâ inſignes tollere laude queunt:
Quantus eris proauûm titulis & laude parentum,
Quantus eris fatuis, EVNE, potens opibus!
At ſi facta patrum, & cerati ſtemmatis ordo,
Degeneri generi noxa venire ſolent:
Quantus eris patriæ pudor atque infamia gentis,
Non niſi flagitiis nobilis, EVNE, tuis!

IN ATTILAM.

FORTIS es, & bello ferus, ATTILA; quis neget? ohe
Non ego: corde lepus, vi lupus, ore leo es.

IN ECNOMVM.

PROFICIS in ſtudij fœliciter, ECNOME, curſu:
Nam pridem à puero cùm tibi conſtet A.B.
Pergis & vlterius ſenior nunc diſcere C.D.
ECNOME cede, & haue, iam tibi ceſſat Habe.

IN OLLVM

QVI nec ἰῶτα quidem, nec nare peritus es, OLLE,
Nil niſi Bombilius, nil niſi fucus iners;

Miror ego lato te tam turgeſcere clauo,
Quàm ſi vel Fabius Fabriciúſue fores.
Miranti vox certa mea ſubſibilat auri,
Bella, cata, & facilis quòd tibi nupta domi eſt.

IN VERTVMNOS.

MVTEMVS *Clypeos, Danaumq́; inſignia nobis*
Aptemus, capta Phryx miſer vrbe canit.
Mutemus clypeos, Regiśq; inſignia Iberi
Aptemus nobis, tu quoque, Geuſe, canis:
Sed priùs euerſâ Patriâ, cæde, igne, rapinâ.
Quis malè conſultos vos neget eſſe Phryges?

IN SEDITIOSOS ET TRANSFVGAS.

SEDITIOSA *lues, probrum, & fax fœda labantis*
Militiæ ad Cattos perfidioſa fugit.
Hoc decuit Batauos, ſentinam haurire nefandam,
Nec minùs hac Regem ſorde carere decet.

IN BATAVOS.

FAMA *eſt Enceladum regnum affectaſſe Tonantis.*
Mentior, Enceladus ſis niſi, CATTE, *nouus.*
Scilicet ille Iouem, tu Regem in bella laceſſis:
Impius ille Polum, tu quatis omne ſolum.
Ille ornos montéſque furens in bella trahebat;
Tu nemora in claſſes, & vetita arma rapis.
Corruit Enceladus trifido Iouis igne peruſtus:
Reſtat vt Encelado par quoque, CATTE, *ruas.*

IN

IN SILIVM CAPITE PLEXVM.

DVM perit, vt meritus, feralis pompa theatri
SILIVS, & ſero Iuſtitiæ enſe cadit;
Defixum celſo caput execrabile conto
Præcipiti adſtantem pondere ſternit humi.
O quantum Patriæ caput hoc nocuiſſe putemus,
Quando etiam viuis poſt ſua fata nocet!

IN AMATORES REIPVB.

PVBLICA cui coniux, cui publica mater, vtrumque
Publicæ amatorem quis neget eſſe rei?

IN FAVSTVM.

DEXTRA tagax, & cauda ſalax, mens linguaque mendax,
Luſca acies, naris ſimia, rufa coma,
Dens niger, os balbum, crus tortum, non tua, FAVSTE
Sed ſunt naturæ munera fauſta tuæ.

IN CORVINVM.

NON ego ſum ſector, non ſum, CORVINE, ſecutor,
Non ego ſum vultur, non ego muſca leuis.
Ergo ego te, tu me iubeas, CORVINE, valere:
Experto ſatis eſt res mihi noſſe tuas.

IN BVBONEM.

QVIS blennum te, BVBO, putet, qui clarior ipſis
Lyncibus atque Aquilis in tua lucra vides?
Ergo

Ergo aliis Phœbi ſit dulce & amabile lumen,
Vtile ſit ſoli dummodo, BVBO, *tibi.*

IN TVCCAM.

MENTE *Midas, facie Therſites, munere Quæſtor,*
Re Verres, animo Sardanapalus iners,
TVCCA; *nec inuideo, tua ſunt, tua ſint precor vſque,*
Siue trahas ſpurcam, ſiue vomas animam.

IN MOMVM.

NEMO *te melius ſcurriles ſcribere verſus*
Fertur, & hoc plaudis nomine, MOME, *tibi.*
Nil opus eſt fama, tibi credo & cedo lubenter:
Miror & hoc, in me te magè poſſe nihil.
Quare aut vel rabies tua victa eſt, MOME, *furendo,*
Aut hebetata acies dentis acerba tui eſt:
Aut animi tibi detumuit ſimul omne venenum,
Vipera ſi potis es detumuiſſe ſemel:
Aut alia aut alia eſt, quæ te, MOME *improbe, cauſſa*
Tam citò ceu mutum mutet in Harpocratem.
Neſcio quid certè eſt: nam nec rabies tua, nec dens,
Nec ceſſant animi nigra venena tui.
Sed rabiem, dentémque tuum, & ſimul omne venenum,
Virtutis vicit Theriaca vna mea.

IN IVSTINVM.

IVRIS *haues gemini Doctor,* IVSTINE, *vocari,*
Decoctor Bromij ſed mihi Iuris eris.

IN HERMVM.

QVOD patriis raſtris, & rure, & ture relicto,
Non niſi ſplendores concipis, HERME, nouos;
Quod malè pro ſtuâ craſſum latus enſe reuincis;
Serica quòd veſtis, quod tibi picta domus;
Quòd ſublimè ſcreas, & ſeſquipedalia ructas;
Quòd latè anſato corpore frangis humum;
Quòd, Cato ceu cœlo cecidiſſes tertius, altâ
Fronte ſupercilium cum grauitate trahis:
Magnus es in populo. ſed nos pars ſanior, HERME
Te, quod es, & fucum ſcimus & eſſe nihil.

IN VARVM.

REfracta, patrias VARVS delapſus ad artes,
Pollicito pinguem comparat ære bouem:
Dat nomen, dat verba; pecus deducit; & eius
Dimidium vendit, dimidiumq́ ferit,
Et ſalit, & condit; vicinoſq́ aduocat omnes
Crediti ad inferias exequiaſq́ bouis.
Dimidij pretium praſtò vrget, & accipit; ipſe
Pro ſolido certus perſoluiſſe nihil.
Spondet, & in Graias tendit promiſſa Kalendas:
Spem vacuam paſcit creditor, ille bouem.
O ſollers VARI ingenium! quis vafriùs vmquam
Inſtruxit loculos ære, penúmque pecu?

IN POLLIONEM.

MERCATVR pretio librarum quinque lacernam
POLLIO, ſoluendam cùm rata Pax fuerit.

Vt rata iam Pax ſit, quid, quo plus ſoluat, habebit,
Pax cui nil addit, Mars cui nil adimit?

IN FRONTONEM.

FRONTONI *frons eſt, qualem Polyphemus habebat,*
Qualem Ventipotens Aeolus, aut Briareus;
Ænea frons, lato frons marmore & aſſere maior:
FRONTO *tamen frontis fertur habere nihil.*

IN SEXTVM DECOCTOREM.

PRAEDIA *poſt patris, poſt Vltima prædia matris,*
Prædia poſt Caiæ multa Vorata tuæ;
Dum bibis, & ructas, Vomitu'q́; & ſordibus opples
Vnam de reliquis, quæ tibi, SEXTE, *domum;*
Indignata diu crapulâ atque proterviâ herili
Exſpuit (& meritò) te tua, SEXTE, *domus.*

IN PHOLVM.

NOCTE *bibis totâ, manè ad delubra recurris,*
Ara tibi & iuxtà putris habetur hara.

IN NÆVIVM ICONOCLASTEN.

QVAM *ſit Marte ferox, ſumptiſq́; animoſus in armis*
NAEVIVS, *à nauo qui bene nomen habet;*
Et ſtatuæ teſtes, & marmora muta loquuntur,
Ante pedes tanti quæ cecidere ducis.

Ille

Ille ſed auerſum quo robore tendat in hoſtem,
Parte ſui præſtat poſteriore fidem.

IN MINISTRVM.

FORTE *Lemanigenâ quidam de face* MINISTER
Multa inter patinas garrulitate ſtrepens;
Perpeſſum exſulium, Latio regnante Baale,
Narrat, & in Romam, ceu Babylona, blatrat.
Fulminat in Miſſam, Regem execratur Iberum;
Sanctorum in ſtatuas, marmora ſurda, tonat.
Purum Euangelium, Caluini ſomnia, laudat;
Perq; nouas Cenas pandit ad aſtra viam.
Alta Palatini, quantum potis, atria iactat;
Et quantus quantus nil niſi vina crepat.
Illic ſex menſes ſe combuſſiſſe bibendo,
Dum profugo factum ſit ſibi vile merum.
Quid multis? vinum, cyathi, carcheſia, lances,
Dolia, crateres, pocula, trulla, ſcyphi,
Concio ventoſo narrantur ſola MINISTRO;
Hæc ſtudia, has artes, hæc ſua ſacra crepat.
Dein quantus fuerit Caluini nominis Atlas,
Quantus & aſsiduus Præco potenter ait.
Atqui ego demiror, reſpondit caupo, tot inter
Pocula, qua ſtudio ſit data pauſa tuo.
Viſa, exhauſta canis centum tibi dolia; inhauſtum
Sed non Scripturæ vel breue iota ſacræ.
Quare ego crediderim te nil myſteria Cenæ,
Sed calices pleno ſemper amaſſe mero.
Erubuit nebulo, vero mordace, MINISTER,
Si modò in hæretico quis rubet ore pudor.

IN ANGLOS ET BATAVOS.

BELLA *parant* ANGLI; *Muſcarum exercitus horret.*
Cur ita? ne Caudis vapulet ille nouis.
Bella parant BATAVI; *trepidat Res publica Homeri,*
Mures & glires. cur ita? Cattus adeſt.
Barbatus Cattus, vagrandi ſyrmate Cattus,
Anglicus ille etiam miles vt eſſe queat.
Vidit, & hoſtili ſtrepitu turbatus Iberus
Prouolat ad Ranam, ſuppetiáſque petit.
Illa coaxatum rauco procul edit ab antro,
Quo, veluti tonitru, fax ea ſparſa fugit.

IN HISPANVM IOCVS.

HISPANI *fortaſſe manum fodit aſpera muſca;*
Ergo dolore amens frendet, & arma rapit.
Cum ſubitò improuiſa genam petit altera muſca.
Vah! ego tot telis obruor vnus? ait,
Iam iam cedo volens. ſimul arma recondit, & iras.
Quidni? non geminos Hector & ipſe ferat.

IN CINNAM.

PVLCHER *& imberbis, tenerâ cum virgine,* CINNA
Connubij ſanctum rite parabat opus;
Sericus & comtus, pictus velut alter Adonis,
Aut Iouis vt pullus, Penelopeſq; procus.
Riſit; & ante aras pupum admiratus vtrumque
Myſta, quis hic ſponſus, vel mage ſponſa? rogat.

IN

IN PETRVM.

CVM *leuior plumâ, leuior ſis fronde, ſtupebam,*
PETRE, graui à PETRA *nomen ineſſe tibi.*
Cùm mihi, neſcio quis, tibi Petra à pumice nomen
Impoſitum dixit, PETRE, *nec impoſuit.*

IN PANDVLPHVM.

INTER *haras,* PANDVLPHE, *colis; roſtriſq; relictis,*
Vertis humum raſtris, ruraq; bobus aras:
Vis tamen & vates princépſque orator haberi.
Ille ita ſis aliis; ſed mihi arator eris.

IN QVINCTVM.

TOT *Veneres, tot,* QVINCTE, *ſales tua carmina ſpirant,*
Ipſius vt Veneris ſint ea digna viro:
Vel ſi fortè virum refugis, lege, QVINCTE, *parentem.*
Eſt Venus orta ſalo, ſunt tua digna ſalo.

IN SEXTVM.

BELLVS *homo eſt* SEXTVS. *quid ni? quem Diua Themiſtis*
Ornat iure ſuo, Delia rure ſuo.
Hac atque illa rudem meritò rude nuper adauxit;
Hac laurum, illa aurum beſtia vtrimque dedit.

IN TVCCAM.

RHETOR eras pridem, ſis Stellio, TVCCA, repentè,
Poſtquàm litigio res malè fracta tibi eſt.
Ergo reus noxa, furcillatúſque bonorum
E numero, ad raſtros ſemibubulcus abis.
Sic tuus ille parens turpes ab equis ad onagros,
A cycno ad coruos anſer abiuit iners.
Cuius tu impuri Scarabæi impurius ouum
(Vah) nouus in nobis nobilis eſſe putas.
Sis porrò, atque tibi placeas ſic TVCCA; ſed illud
Nobilis vt ganeo, nobilis vt nebulo.

IN HEYNIVM VITILITIGATOREM.

SI memini, fuerant tibi prædia quatuor, HEYNI;
Perdidit vna duo lis mala, & vna duo.
Nunc impunè foro tibi lis mala ventilet omni;
Tertia nil tibi lis, quod modò tollat, habet.

IN APICIVM.

LVCE frequens feſtâ cur viſit APICIVS vrbem?
Luce nefaſtâ idem cur procul vrbe colit?
Fallor? an infeſtus debentem luce nefaſtâ
Alphius infeſtam vertere cogit humum?
Quin igitur Latium ſupplex rogat ille Tonantem,
Vt ſtatuat feſtum quemlibet eſſe diem?

IN OLLVM.

QVOD faba multa meo paſſim effloreſcit in horto,
Rure procul noſtro, ſicut ab angue, fugis.

Et

Et ſapis, & tenui cerebello conſulis, OLLE;
Sed meus Elleborum non minùs hortus habet.

IN TVCCAM.

A TER *an albus homo ſis, neſcio. ſed ſcio,* TVCCA,
Quòd mens talpa tua eſt, lyncea dextra tua eſt.

IN BOONARDVM.

BOONE, *quid affectas Fabiæ cognomina gentis?*
Aſſumtáque tumes pelle Leonis ὄνος?
Rus tibi Keyburgum patria eſt, obſcura parentum
Progenies, pecudum carnificina domus.
Nil illuſtre tua geſtum virtute. quid ergo
Non genus ad Fabium ſtemma referre pudet?
Sed cauſſam videor reperiſſe agnominis, vnde
Tu Fabius dici, BOONE *ſuperbe, queas.*
Durus & es ſiccus, tumidus, ventoſus, inanis.
Fallor? an effectus conuenit ille Fabis?

IN AVLVM.

QVI *tuus haud tuus eſt, ad te redit,* AVLE, *libellus,*
Velle tuum nuper quem fuit eſſe meum.
Seu meus, aut tuus eſt, totum ſine lite remitto;
Tu quoque mî grates, AVLE, *remitte meas.*

IN LVCTVM VYTII.

DVM *patrios obitus pullato triſtis amictu*
Luget, & oblongo ſyrmate verrit humum
VYTIVS; *impuráſque trahit toga pendula ſordes,*
Quas piget admotâ defricuiſſe manu:

Quid

Quid facit? ad primum ſartorem pergit, & imâ
Parte togæ ſectâ terſior inde redit.

IN MERILINGVM.

SVs *mera, rúſque merum; fas ſit mihi dicere verum;*
Fax eris & rerum, dum bibis vſque merum.

IN LENTINVM.

ME, LENTINE, *pudet mea te tam ſæpe rogare;*
At magis ære meo me caruiſſe piget.
Me, LENTINE, *tui, ne te pigeat magè noſtri,*
Æde tuâ penſo me ſemel ære fuga.

IN OBERVM.

NVLLA *tibi in vacuâ crux pugnat,* OBERE, *crumenâ;*
In loculis pacem quis neget eſſe tuis?

IN GALLVM.

NOBILIS *& diues contendit* GALLVS *haberi;*
Nobilis & diues non tamen eſſe poteſt.
Nobilis at mater fuerat, diues pater: ergo
Nobilis & diues dimidic ille ſui eſt.
At neque dimidio eſt. quare? quia ſorde mariti
Nobilitas matris contemerata ſua eſt:
Patris opes GALLVS *proiecit turpiter. ergo*
Nobilis & diues nulliter eſſe poteſt.

IN CALVVM.

ACRIA *narraris mea carpere carmina* CALVE:
Acribus antidotum conuenit acre malis.

Carmi-

Carmina ſed carpas; tua dum quoque crimina carpas,
Libera vita tua eſt, libera Muſa mea eſt.

IN LIVIDVM.

GAVDEO *quòd noſtro rumparis,* LIVIDE, *verſu:*
Non aliâ Inuidia eſt digna perire nece.

Ad Nob. Virum
GISLENVM BVLTELIVM CLYTIVM EQVITEM.

QVAEREBAM *Phœbum,* CLYTIEN *cur ſpreuerit olim.*
Pro Clytie CLYTIVM *dixit amare nouum.*
Quæro, quem CLYTIVM*? Dea quem Clio extulit, inquit,*
Vraniæ vatem ceu tulit ante Linum.
Aſſenſi: & Phœbi Cliúſque ſecutus alumnum,
Hoc mihi te volui demeruiſſe libro;
Exiguo, fateor: ſed per maris oſtia magni
Quis vetet exiguam ſerpere fontis aquam?

MAXÆ-

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER VI.

AD FRANCISCVM HARDVYNIVM.

HANC *Siluam tuus*, HARDVYNI, *tibi* VRIENTIVS *offert*
Nō temere, in ſiluis omnia mixta ſimul,
Herba, frutex, flos, planta, ſalix, ſiler, hoc genus omne:
Et mea mixturam Silua habet iſta parem;
Salſa, inſulſa; iocos, & ſeria, & omnia nulla,
Silua ferax noſtri ceu fuit ingenij;
Lenta, humilis, proiecta, hedera repentis ad-inſtar,
Coniugis amplexu qua viduata caret.
Tu porrò, meus alter ego, meus alter Apollo,
Cum quo diuiſum nil meus hortus habet;
Hanc licet abiectam ſtirpem pater aquus adopta,
Et ſine per Lauros ſerpat vt illa tuas.

Auxi-

Auxilij pede fulta tui ſic ſurget ad aſtra
Silua mea; aut, quod fas dicere, Silua tua.

AD LECTOREM.

SI *quis in his ſalibus tactum ſibi ſenſerit hulcus;*
Ne pateat vulgo, clàm crepet, & ſileat.

IN DINVM.

DE *Republicâ opus narratur ſcribere* DINVS,
Priua cui numquam res bene ſtructa fuit.
Ergo opus hoc credam ganeonum regna, popinas,
Lenones, lenas, luſtra, meráſque lupas;
Omnia quæ meliùs pernouit publica DINVS,
Quàm priuata ſuæ naufraga vaſa domus.

IN STVTHIONEM.

STVTHIO, *carnifici eſt de te lis magna; ſceleſtum*
Perdat vt ille tuum culeo an enſe caput,
An face, vel laqueo. laqueum tua pondera frangant;
Enſis at in pœnas non ſatis vnus erit;
Flamma tuos tactus fugit atque impura venena;
Horrent te Gallus, Simius, Hydra, Canis.
De te carnificem dubitantem Spinula vidit,
Cùm ſubitò ad remos te vocat ille ſuos.
Optimè, & ex voto laqueus, fax, culeus, enſis
Te fugit; at, ſpero, te volet vnda ſuum.

IN LATINISTAM.

IMPROBVS *ille canis, qui nil niſi turpis agaſo,*
Nil niſi qui venter, nil niſi ſaccus iners,

Nil niſi qui lingua fax & mera vappa Latina,
Barbarie ille omni qui quoque barbarior.:
Quidquid hiat, quidquid vomit & crepat, omne Latinũ
Paſtum adeò vt credas per Latia arua pecus. (*eſt;*
Et blatrat & latrat, plangitq́ canitq́ Latinum;
Siue Latina nequit, ſemi-Latina ſtrepit.
Omnia cumq́ Latina; ſonat nihil ille Latinè,
Illum adeò inſulſum Muſa Latina fugit.
Ergo illi in buccam thyrſum precor ire Latinum,
Rectum adeò & validum de meliore notâ,
Omnibus vt poſſit grauis inſtar olere Latrina,
Siue Latina crepet, ſiue Latina cacet.

IN ANTIQVARIVM.

C*VM tibi ſic placeant defuncta, antiqua, ſepulta,*
Et carie & putri rancida verba ſitu;
Vt te vel Faunus, vel cana Sibylla, vel ipſa
Euandri genitrix autumet eſſe ſuum;
Et te vel veteres ſtupeant, tua pabula, Quercus,
Hæretico iuuenem pectore, voce ſenem;
Et breuiter tibi cùm ſapiant vetera omnia: miror,
Tam citò te veterem deſeruiſſe Fidem.

IN COSCONIVM.

CENSVRAS, *tua,* COSCONI, *deliria vidi,*
Stulta adeò, vt ſtultus ſim propè factus ego.
Stultitia contage tua. Sic ducere lepram
Lepra malam, ſcabies aſſolet & ſcabiem.
Quare ego ne penitus caput inſanabile fiam,
More tuo, generis vel magè more tui:

Ocyus

Ocyus huc medicum, puer; offenſumq́ cerebrum
Fac, age, mî multo ſuffiat elleboro:
Inde ſuo domino ſua tot deliria perfer,
Portet vt hinc longas illa per Anticyras.

IN PARDVM MIRISCIVM.

GANNITV *vulpes, morſu canis, & ſtrepitu anſer,*
Hac tria tu pariter, MIRISCIE, *eſſe potes:*
Nec minus eſſe potes ruditu inſignis aſellus:
Sed, cuncta vt poſſis, non, quod es, eſſe potes.

IN FVRIVM.

HELLVO *liborum & cyathorum maxime,* FVRI,
In Cerere & Baccho ſit tibi fauſta dies.
Rara quies noctu tibi nam ſolet eſſe bibenti;
Ebrius vt ſtertas, ſit tibi fauſta dies.

IN BVBONEM.

CVM *tu Palladiis ſis,* BVBO, *dicatus Athenis,*
Cùm tu doctiloqua ſis ſacer ales Hera:
Vnde tuis nox tanta animis, ignauia tanta,
Et ſtupor infamis, barbarieſq́ rudis;
Plumbeus vt poſſit de te ſtupor ipſe ſtuporem,
Craſſaq́ barbariem diſcere barbaries?
Sic ego. ſic pro te, qua neſcio, turpior ales,
Fœda, ſepulchralis, dira, cadauerea;
Deſine noctiuagum, Philomela, laceſſere fratrem;
Cacus vt eſt, præ te clarior ille videt
Inq́ ſuas, res inq́ tuas, res inq́ tuorum;
Quare agè, & ad coruos tu leuis Oſcen abi.

Cum cantu moduliſq́; tuis; noctiſque volucri
Vtile ſit capere, noxa tibi ſapere.

IN CHÆRILVM.

VSVRPARE *meos narraris,* CHAERILE, *verſus,*
O bene! iam demum mî mea Muſa placet?
Et quid ni placeat? tibi ſi ſic perplacet illa,
Iure vt adoptiuo ſit modò facta tua?
In gemmam mutata, nigro è carbone, repentè,
Nec minùs à plagio publica facta tuo;
Quæ fuerat patrio longùm latitura pudore,
Debeat vt tibi plus quàm mea Muſa mihi.
At ne ſola tibi ſe debeat; effice porrò,
Poſſit vt & ſoboles & mea tota domus
Officio debere tuo: ſic, CHAERILE, VRIENTI
Cedat honóſque tibi, cedat onúſque tibi.

IN FLACCVM.

TOTA *pudica tua eſt, & mellea,* FLACCE, *Thalia.*
Cur ita? nil Veneris, nil habet illa Salis.

IN BOMBILIVM ET CODRVM.

PVLCHRE BOMBILIO *cum* CODRO *conuenit. ille*
Manè nouo in noctem perdius vſque bibit.
Alter ab occaſu Solis perpotat ad ortum.
Ebrius hic grunnit, ebrius ille ſtrepit.
Hic mera ſus, anſer merus ille: & vterque poëta;
Scilicet hic Ligeri potus, & hic Tiberi:
Iſte animam vomitu proiecit; & ille cerebrum:
Et tamen (ô mirum!) mirus vterque ſapit.

Hic docet è cathedrâ quem Vitâ Vitat Olympum;
Ille foro leges, ſed ſine lege crepat.
Iſte ſatur rixas, pugnas ſerit ebrius ille;
Nec minùs hic Fidium iurat, & ille Iouem.
Iſti mater Eris, ſatus ille parente Corœbo:
Iſte patris Vitio deſipit, ille ſuo.
Vt ſapiant ambo, Viuant frugaliter ambo;
At non hoc illis Viuere, ſed bibere.
Ergo ambo Vt Viuant, hic Lethen nocte ſub atrâ,
Luce nouâ Elleborum fortiter ille bibat.

IN GARRICVM.

FVLMINE *terribilis Superûm Rex, ægide Pallas,*
Enſe ferox Mauors, Mulciber igne minax;
Euius eſt thyrſo metuendus, falce Priapus,
Et Venus eſt conchâ pane timenda ſuâ;
Mercurius Virgâ, clauâ Tirynthius aſper,
Horrida Neptuni dextra tridente fero.
Tu quoque non aliquâ ne poſſis parte timeri,
GARRICE, *& magnis æmulus eſſe Deis;*
Nictanti horribilis cilio, & ſtrepero grauis ore,
(Vah) geminum bifidâ fulmen ab arce iacis.

IN AVLVM.

NIL *agit, & ſatagit ſemper rerum anxius* AVLVS.
Vt quod agit peragat, turpem animam AVLVS *agat.*

IN FABIO-LENTVLVM.

VIS *genus obſcurum titulo illuſtrare ſuperbo,*
Déque Leguminibus nomina ducta placent?

Ergo Fabas, Piſas, Lentes, Eruum, vel Orizam
Delige, & hinc nomen quodlibet inde tibi.
Dicaris Fabius, vel Piſo, vel Eruus, Orizus,
Dicaris plenâ voce Leguminius.
Vnum ſed Cicer excipio: nam nil Ciceronis
Arguit obloquij rancida bucca tui.
At tu tam lentus cùm publica priuáque tractes,
Lentiùs vt nemo, Lentulus eſſe potes.

IN GRAMMATICVM.

CVM *patre ſis dubio, communi matre creatus,*
Maſculeæ ſobolis femineæq; ſator;
Et neutram valeas, re deficiente, iuuare:
Quis te GRAMMATICVM *per genus omne neget?*

IN PONTICVM.

FVNGVS *es, & fratri conferste*, PONTICE, *vati.*
Quidni? ſunt fratres, nempe, in honore pares.
Ergo age, & Arcadicos Arcas pete, PONTICE, *onagros.*
Fratribus haud aliis fratrior eſſe potes.

IN DORMIONEM.

ACER *homo & vigilans contendis*, DORMIO, *haberi,*
Acer, homo ignauus non tamen eſſe potes.
Vna ſed eſt vigilans quà poſſis cauſſa vocari:
Excubat in cerebri Cerberus arce tui.

IN PHILOMVSVM.

CARMEN *vt abſoluas, annum, non amplius, vnum,*
Magnum ô vas legum, vis, PHILOMVSE, *tibi.*

Hoc

Hoc tibi conceſſo, primos æquare poëtas,
Aut etiam ſcripto vincere poſſe putas.
Vix equidem credo, ſed credam, ſi modò poſſint
Perpetuâ à crapulâ carmina docta vomi.

IN MARCVM CRASSVM.

CVM *tua perpetuò grandeſcat pondere ciſta,*
Creſcat & adiecto ſemper agellus agro;
Publica Res contrà, te Conſule, CRASSE, *laboret:*
Demiror, ſi non conſulis ipſe tibi.

IN CYCNVM.

QVEM *tu nuper eras ægrotus,* CYCNE, *videre,*
Nunc in præcipuo picus honore tibi eſt.
Quemq́ adeò vt miluum miluis dare velle ſolebas,
Nunc tibi luſciniæ eſt barbarus ille loco.
At qui luſciniæ fuerat tibi nuper ad-inſtar,
Nunc tibi ſit coruus, nunc ſcarabæus iners.
Attamen ille & ego ſumus, vt priùs, vnus & idem,
Sed tu non idem, CYCNE, *nec vnus homo es.*

IN VERTVMNVM.

ILLE *vafer Gnatho, & Proteus variabilis, ille*
VERTVMNVS *fidei tèrque quatèrque ſuæ;*
Qui, Rege atque Deo eiurato, ſemper adhæſit
Hoſtibus, & primos inter vbique fuit;
Factus heri Ædilis, ſic dicitur eſſe locutus:
Phu Papa, Phu Princeps, Phu tua, Chriſte, fides:
Quid mihi vobiſcum? Regina pecunia Geuſo
Rege, Papâ, & Chriſto plus dare ſola poteſt.

IN DENTONEM.

VSQVE *latrat* DENTO, *nec mordet dentibus vllũ.*
Hoc agit, vt DENTO *ſe probet eſſe canem.*

IN LOLLIVM.

BELLÈ *equidem,* LOLLI, *vadiua Calumnia, verſu*
Picta tuo, ex Erebo fingitur orta tibi.
Quis tamen ille Erebus, vel vbi ſit, neſcio; ni ſit
Pectoris aut oris fœda cloaca tui.

IN FVRIVM.

QVID *tibi non,* FVRI, *lubet & licet? omnia turbas,*
Et trutinas librâ fáſque nefasq́ pari:
Et pretio leges figis, pretioq́ refigis;
Vendis & arbitrio ſacra, profana tuo:
Scribis, proſcribis; vertis, peruertis; & ipſum
Te modò non furem, ſed furiam eſſe probas.
Omnia cùm capias, rapiáſque, ſacerrime FVRI;
Tu quòque, ne coruis diripiare, caue.

IN LYGDAMVM.

ET *culpas bellum, & fieri vis,* LYGDAME, *pacem,*
Omnia ceu bello ſint tua fracta graui.
LYGDAME, *vis dicam? cùm ſis ipſo Irior Iro,*
Facta, infecta tibi pax nihil addet opus.

IN CALVVM

CONCVBIVM *noctis ſuperant tua pocula,* CALVE,
Auroram ſuperant, exſuperantq́ diem;
Et tua vox ſtreperos coruos ſuperatq́ cicadas;
Et ſuperat cenſus vncta culina tuos;

Æra

Æra aliena fidem ſuperant, mendacia frontem:
Omnia tu ſuperas; ſed ſuperare ſiti.

IN L. S. DVSYLVIVM.

CARMINA *cum Muſis cogas & Apolline nullo,*
Qualia vel pigrâ rana coaxet aquâ:
Qualia non hirtus Satyrus, neque Faunus agreſtis
Auribus admittant inſtrepuiſſe ſuis;
Quorum vel Siluas pudeat, Siluane Poëta;
Et quæ non Arcas dixerit eſſe ſua:
Non ego de Siluâ miror traxiſſe, DVSYLVI,
Te genus & mores ingeniumq; tuum.
Amphion Siluas, Siluas Rhodopeius Orpheus,
Carmine & attonitas traxit vterq; feras:
At tua tu Siluis dum ructas metra, DVSYLVI,
Horreſcunt Siluæ, diffugiuntq; feræ.

IN PVTVM.

CVM *vomitu mea lecta tibi ſchediaſmata dicis*
Auribus atque oculis, PVTE, *pudenda tuis.*
Sic tu, PVTE, *putas: ſic cenſes, liuide* PVTE,
Sic & ego tecum, ſordide PVTE, *puto.*
Nam tibi cuncta putri putent bona carmina, PVTE,
Suntq; in deliciis putida ſola tibi:
Scilicet ingenioq; tuo & cognomine digna,
Lactucas ſimiles vt labra ſemper amant.
Sed tamen, vt ſemper mea ſint tibi putida, PVTE,
Hæc mea non fruſtra, PVTE, *legenda puta.*
Sic erit, vt vomitum repetas canis aut ſuis inſtar,
Sus ſue matre, canis iacte parente cane.

IN FANNIVM.

QVOD mala Fama foris, tibi quòd malè ſtructa domi res,
Multa quòd ambiguo ſit tibi cauſſa foro,
Ringeris, & cæco, FANNI, malè carperis æſtu,
Perpetuus vultur, tortor & ipſe tui.
At tu, quin potiùs, quæ de te cumque feruntur,
Omnia non aſſis vnius eſſe putes.
Proferat vt verum, crepet omnis turba; quid ergo?
FANNIVS an ſimilis deſinet eſſe ſui?
Ebrio, nugator, decoctor, & helluo pernox,
Peſtis amicitiæ, Lernáque diſsidij?
Nil minùs: expellas te ipſum licet, vſque recurres
Ipſe tibi, atque idem ſemper & vnus eris.
Quare habeas ſerueſq; tibi tua tot bona, FANNI;
Quodq; negas Famæ credere, crede tibi.
Quid tibi cum Fama? leuis eſt amiſſio Famæ;
Dum tibi ſit, FANNI, res bene ſtructa domi.
At tua, nimirum, tibi tam bene fulta domi res,
Fortunæ vt poſsis filius eſſe bonæ.
Circumfers oculos; &, nil ego conſpicor, inquis,
Ædibus in vacuis, præter inane, meum.
Quin propiùs, FANNI, propiùs viſu omnia luſtra.
Luſtro, ais; &, præter nil, ego luſtro nihil:
Ni rabie exſtinctos glires, aut retia Arachnes,
Atra vel hîc videas hoſpitis ora Famis.
Cæcutis, FANNI; ſpeculum cape, mox nouus Argus
Videris in vultu, quod cupis omne, tuo.
Quid ceſſas? viden' vt tibi murice tincta rubenti
Frons calet, & bibulo purpura in ore flagret?

Vt

Vt Sandyce gena, naſus rutilante Pyropo
Ardeat, & totus nil niſi gemma mices?
Non Bacchi Patris aut Sileni clarius oſtrum;
Non melior facies, Faune rubelle, tua eſt;
Quàm tua, mi FANNI; *non fuco aut arte, ſed ipſa*
Natura artificis vermiculata manu.
I nunc, atque inopem te plora; cùm fluat vltro
Gemmarum atque auri vis tibi tanta domi.

IN TROSSVLVM.

TROSSVLE, *te iuras ex tempore fundere verſus.*
Ne iura, affirmat verſus id ipſe ſatis.
Lentus, iners verſus, peruerſus, TROSSVLE, *verſus,*
Patre tamen melior dicitur eſſe ſuo.
O nunc veſtra latent vbi tot ſcabra tela, Sophiſtæ,
Et bonus & melior ſi malus eſſe poteſt?
Optimus ergo etiam, verùm optimus ipſe malorum
Sis licet. an laus hæc, TROSSVLE, *parua tua eſt?*

IN RVFVM.

SVNT *color & vultus animi indubitabilis index;*
At tuus hinc vultus peccat, & inde color.
Luridus, obſcenus vultus tuus; at calor ille eſt,
Qui ſolet eſſe aſino, Threïciæq; grui,
Aut oleæ, aut ſalici, aut ficoſo affinis Ibero.
Fallor? an hic etiam trux habitare Caper
Valle ſub alarum fertur tibi? non ita, RVFE;
Sed mera ſordities, Inuidiæq; lues.
Aut hoc; aut fallunt, numquam pote fallere, vultus
Et color, arcani clara feneſtra animi.

IN MORILLVM.

VXORI *dominæ nupſit* MORILLVS, *& inde*
Intumuit; mirum, ni crepet, & pariat.
Iam peperit. quidnam? mediâ duo cornua fronte.
Iam pariat quidni? par partendo Ioui.

IN LENTVLVM.

IN *Batauis abſens toto hæret* LENTVLVS *anno:*
Nupta ferax Flandro non minùs orbe parit.

IN SVPPLICIVM FVRII.

DVM *ſcelerum ſator, & patrij fax publica belli,*
Et deformata Relligionis Atlas,
Damnatum rapitur caput ad ſibi debita dudum
Supplicia. & caſo vertice plangit humum;
Supplicio aſſiſtens ſpectator ruſticus, inquit:
Ecquid adhuc ſupereſt iam tibi, Ganda, tui?
Aurea ceſſerunt cordis penetralia Vulpi,
Tortor adoratum ſuſtulit enſe caput.

CHIRVRGVS. MEDICVS. CARNIFEX.

CHIRVRGVS *Medico quo differt? ſcilicet illo;*
Enecat hic ſuccis, enecat ille manu.
Carnifice hoc ambo tantum differre videntur;
Tardiùs hi faciunt, quod facit ille citò.

IN CODRVM.

CÆLIVS *eſt Vates, Rhetor Philo:* CODRE *quid ad te,*
Ille quid ingenio patret, & ille ſuo?

Cenat

Cenat olus Piſo, Fabius far: CODRE *quid ad te?*
Prædia cùm liceat tota vorare tibi?
Debet & ædificat Polydorus: CODRE *quid ad te?*
Cùm tibi fas patrios dilapidare Lares?
Turnus equo, rhedâ vehitur Tros: CODRE *quid ad te?*
Cùm liceat pediti, quò lubet, ire tibi?
Deſipit inq; togâ tumet Aulus: CODRE *quid ad te?*
Stultorum Regi dum licet eſſe tibi?
Illud diſſimulas, quòd te, CODRE *improbe, tangit,*
Quodq; adeò ex omni proprietate tuum eſt.
Spurcam animam debes, hoc te, CODRE *improbe, tangit;*
Alphius & nemo iam tibi credit, & hoc.
Nomina ſcripta negas, hoc te, CODRE *improbe, tangit;*
Falſa fides, falſe falſus amicus, & hoc.
Vxor egens plorat, hoc te, CODRE *improbe, tangit;*
Indotata gemit filia grandis, & hoc.
Res redit ad reſtim, te CODRE *hoc improbe tangit;*
Et gula perpetuùm naufraga durat, & hoc.
Ergo fame aut laqueo pereas mox, CODRE, *neceſſe eſt:*
Sed tua me tangit mors mala, CODRE, *nihil.*

IN TROSSVLVM.

PAVPER *es, & faſtu ſtolidè turgeſcis inani,*
TROSSVLE; *deuotus non ſemel eſſe potes.*

IN VVLTEIVM.

PRAEDIVAGVS *Vultur, volucrum turpiſſimus ales,*
VVLTEIO *nomen donat habere tibi.*
Impropriè an dicam propriè? ſed enim tua quærit
Plurima quâ noctem noxa, diémque fugit.

Hac

Hac tu noctiuaga germanus es ipſe volucri.
At quà perpetuùm Cerberi ad-inſtar hiat
Illa tua aſſiduis mens inſatiata rapinis,
Hac tu vulturium vultur & ipſe refers.
Sed quà cuncta manu capis & rapis improbè-auarâ,
Hac merus & verus totus es accipiter.
Sic tu non vnum turpi vno in corpore monſtrum
Non es, & es vultur, noctua, & accipiter.

IN GALBAM.

BELGA, *Ligur, Gallus, nuper pro tempore, Iberus,*
Omnia qui ſimul es, dic mihi, GALBA, *quis es?*

AD TVLLIVM.

PVBLICA *miraris diuendi munera,* TVLLI,
Libera Virtuti quæ dare Roma ſolet.
Deſine, quos Conſul caro mercatur honores,
Carius hos populo vendat vt ille decet.

IN SVPPLICIVM DVORVM Volonum.

PRAEDONES *prædæ facti damnantur vterque,*
Funereo ille rogo, furcificæ ille cruci.
In cruce figendus, Morior Chriſto æmulus, inquit;
Supplicij genus hoc me prior ille tulit.
Mulcibero ſacer, His flammis, aſt, itur ad aſtra,
Próque Fide & Patriâ ſit mihi dulce mori.
O ſcelerum capita! immani qui ſæuiter auſu
Obruerunt homines cædibus, igne Lares;
Nunc (ſi DIs placet) hi pro Relligionis honore,
Inq; bonum Patriæ, victima ſancta cadunt.

In-

Inſontes quid agant, iactant cùm talia fures?
Si noua Relligio hæc, non ego Martyr ero.

IN CALEPINVM.

ARTIBVS *his ſellam captas,* CALEPINE, *curulē,*
Dum noua vera refers, dum noua falſa refers.
Scis quid ad extremum Cæſar deliberet Iſtrum,
Threïciam memoras Pannoniámque manum.
Scis quid in aduerſos meditetur Femina Iberos,
Scis quota ad Indorum litora claſsis eat.
Gallica ſcis cuius naſcantur Lilia fronti,
Deſtinet in Latio cui ſua ſceptra Deus.
Tolle tuas artes, dabitur tibi ſella curulis,
Hac lege, vt narres nil, CALEPINE, *noui.*

IN EVBOLVM.

ES SE *rudes telas, crudos ais,* EVBOLE, *pannos.*
Crudius ingenio quid queat eſſe tuo?

IN PLACENTIVM.

SI *tibi,* PLACENTI, *poſsis minùs ipſe placere;*
Eſſet, cur poſſis fortè placere mihi.
Nunc tibi cùm placeas, deſpectis omnibus, vni,
Non mihi, non alij tu placuiſſe potes.

IN NÆVIVM.

NÆVIVS *expendit rigidâ mea carmina lance,*
Inq; meis ſcriptis ingenioſus homo eſt:
Sed ſua non trutinat millenis ſordida nauis;
Cumq; foris ſapiat, nil ſapit ille domi.

IN ATTICVM.

ATTICE, *patriſſas, declamas, metra coaxas:*
Ter, quater inſanis, nec petis Anticyram?

MOPSO NISA DATVR.

MOPSO NISA DATVR, *quid nō ſperetis agreſtes?*
Pan prait ad calamos, ducit Apollo boues.
Cedite Parthenope, meliores cedite ciues:
Neſcio quid maius rus triuiale parit.

IN ECNOMVM.

CONIVGA, *ait Prator. nequeo, inquis,* ECNOME. *rectè:*
Nam tibi coniugium non placet, acre iugum.
Ergo declina, & Spartano cede Senatu,
Prator ait, facis hoc, ECNOME, *& inde iaces.*

IN CALVVM.

CVM *tibi per tritas tunicas, vtiléſque lacernas,*
Perq́ tuas ſoleas, per caligaſque tuas,
Perq́ caput, ventremq́ tuum, per & ilia fas ſit
Iurare, & magnis parcere poſſe Deis;
Cur elementa, Deos, & Sacramenta profanis
Ritibus impuro ſemper ab ore vomis?
Pace tuâ an dicam? Deus & ſacra cuncta Deorum
Et crepitus ventris ſunt tibi, CALVE, *eadem.*

IN AVLVM.

OTIA *ſectari ne ſemper quis putet* AVLVM,
Aut bibit, aut vndit, aut ſomnit, aut comedit.

IN TROSSVLVM.

NVLLA tibi ancilla eſt, coniux tibi, TROSSVLE, nulla,
Nulla domi Lais, & tibi nulla foris.
Fama tamen patrem te, Dindyme, narrat; an errat?
Hoſpite an es Verus tu pariente Paris?

IN TACITVM.

RODIS me TACITE, TACITE me carpis; apertè
Arrides, palpas, diſsimulas, ſimulas.
Rodis qui TACITE, TACITE qui carpis; apertè,
Si potis es, culpes, inſimules, ſtimules.
Aut tu, ſi TACITE me carpere pergis, aperto
Nomine te credas non fore diu TACITVM.

IN AVLVM.

ES cælebs, patrumq́; tumes in claſſe ſecundus:
Macte, tua Patria mox eris, AVLE, pater;
Mox & auus. fallor: nam te plebecula patrem
Cùm nec poſsit auum credere, credit anum.

IN IVDICEM CORRVPTVM.

OCCIDIS, ſtupràs, ius dicis, crimina punis;
Es ſimul & virtus & ſcelus vnus homo.

IN DAMONEM IVSTVM.

IVS habeo, clamas. nego IVSTE; at, grammate verſo,
Rus ego confiteor ſemper adeſſe tibi.
Nomen at occlamat. fateor: ſed qui tibi nomen
Hoc dedit, ille aliis & tibi verba dedit.

IN PAPILVM NASONEM.

CVm tibi ſit naſus cubito atque proboſcide maior,
Quiq; adeò in naſos tuberat vſque nouos,
Collibus & cliuis ceu prominet arduus Atlas,
Naſus vt hic dubites maior, an ille minor;
Quótque oculos Argus, numeres tot, PAPILE, *naſos:*
Olfacere eſt mirum te tua probra nihil.

IN QVINCTVM.

MAIVS *erat, vidi flentem cum coniuge neptim,*
QVINCTE, *tuam. luctus cauſſa rogatur. ait:*
Hei miſera interij; coniux meus ille Senatu
Excidit; ad reſtim res redit, interij.
At patris ille ſui exemplo cauſſas agat, inquam.
Verum, ait; at non ſic nobilis ille cluat.
An patre nobilior rabulâ coniux tuus? inquam.
Immo, ait, & meritò, penniger ille fuit;
Enſifer hic meus eſt. rectè, inquam: ſic patre Gallo
Nobilior Capo filius eſſe ſolet.

IN STELLIONEM.

CLARVS *& illuſtris dici vis* STELLIO. *rectè,*
Nam cui tot lychnos prætulit antè pater,
Tot liquidas tedas, tot cerea lumina, quis non
Hunc meritò clarum dixerit eſſe virum?

IN LVRCONEM.

QVI *ferrum plumbumq; vorat, qui marmora & ara,*
Hunc ego quo ſtomacho ſuſpicer eſſe virum?

AD IOACHIMVM TROGNÆSIVM.

TROGNAESI, *doleo, & miror, quâ neſcio culpâ*
Carmina noſtra premi, nec tamen illa premi.
Quare ne manibus ſint prælia, ſed magis aqua
Præmia, mox prælo carmina noſtra preme.
Sic iuuet ille, ſua cui nomen ceſſit oliua
Pallas; & hac operis præſit & ille tuis.

AD R. IOANNEM DALÆVM ARCHIDIACONVM GAND.

SI *mors eſt crambe bis cocta; quid ergo,* DALAEE,
Non moueris? crambe bis tibi cocta datur,
Scripta tui VRIENTI, *toties cocta atque recocta,*
Decocta vt penitus, lixáque, & aſſa putes.
At tu ſparge tui ſucco, precor, illa fauoris,
Cocta licet, vitam, te vegetante, ferent.

IN BLATERONES.

QVAE *rabies, quæ nam iſta Canũ portenta, maligno*
Murmure blactrantum me petiiſſe mihi?
Tot miſer (hei) telis, tot dentibus vndique iniquis,
Alter vt Actæon, impetor vnus ego?
Quâ tamen hoc culpâ, ſi nec Dea Delia viſu,
Nec loca ſacra mea ſint temerata pede?
Fallor? an in nobis quid caſtoris arbitrer eſſe,
Cuius in aucupium turba ferina calet?

Ite

Ite canes, ite infames, procul ite voraces
Funera craſſa alibi nare ſagace ſequi.
Viuimus, &, Superis ſit gratia, viuimus vncti,
Quáque licet vitam cudimus arte nouam;
Securi luis impuræ, quæ parcere puris
Vatibus, & ſpurcos carpere iuſta ſolet;
Iamq́ adeò vos corripiat, ſed publica Fama
Ipſa peiores vos putat eſſe lue.

IN ZOILVM.

CARMINA *tu carpis, ſed non tua crimina carpis,*
ZOILE; *quo carpas hæc, tua carpe prius.*
Rodis oues bipedes, deglubis tergora, ſugis
Sanguinem, & intactis oßibus exſta voras.
Si bipedis corium rodendáue tergora deſint,
Vltima tunc denti charta terenda tuo eſt.
Charta deeſt, deſunt crudeli carmina denti;
Rodere vis? pectus, ZOILE, *rode tuum.*

AD FRANCISCVM HARDVYNIVM.

CARMINA *ſalſa nimis quidam me ſcribere dicunt,*
Qualia grammatici non didicere ſues.
Qualia non hirti barbâ ſapiente Catones,
Qualia non capiunt, omnia qui capiunt.
Ergo ego, vt his noſtris poßim placuiſſe Magiſtris,
Nil niſi mellinias, nil niſi blanditias
Inſulſus poſthac ſtupidas effabor ad aures,
Et facile ingenium dicar & inde bonum.
Anne putas, FRANCISCE? *negas. quidnã ergo? ſilebo;*
Et patiar bipedes rudere tot pecudes.

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER VII.

Qui propriè Hymeneïus.

AD

IIRMEIAM PIERSSENÆVM I. V. D.

Adfinem meum.

QVI *primus iuueni potuit deducere nuptam,*
Ille fuit Terris non leue numen, Hymen.
Qui docuit viſas primùm rapuiſſe Sabinas,
Ille fuit populi conciliator, Hymen.
Et nos adfini primùm qui iunxit amore,
Ille fuit thalami pronubus auctor, Hymen.
Caſtus Hymen, Hymenæus Hymen, Hymenæus amantũ
Arbiter, Vraniæ ſtirps pia, caſtus Hymen.
Riſit Diua parens, &, Apolline teſte vocato,
Hoc, quod Hymen cœpit, nexuit illa iugum.

Iure

Iure igitur duplici tibi nodo obſtrictus, amoris
Hac ego, PIERSSENI, Symbola pauca mei
Doq́ dicoq́ tibi condita lepore Hymeneio
Carmina, & vt capias illa ita grata, rogo,
Quàm iuuenis Sponſam, iuuenem noua Sponſa maritū;
Sic & ames, & amet te genialis Hymen.

IN NVPTIAS
FRANCISCÆ BVLTELIÆ
VIRGINIS
ET
FERDINANDI WITSII
BOVCHARDERIÆ TOPARCHÆ.

CLYTIA WITSIADAE *nubit pulcherrima, ceſtum*
Huc Venus, & caſtas fer, Hymenae, faces.
Ferte roſas pueri ſimul innuptaq́ puellæ;
Hæc quoque qua nubit tota puella roſa eſt.
Nata Cupidineo, Zephyris mulcentibus, horto,
Feta manu Charitum, Cypriæ adulta ſinu.
Iam matura viro, iam carpi pollice digna,
Poßit vt è tali ſtirps noua flore capi.
Aurea ſtirps, Patris & Patrui qua more perenne
Germinet in Phœbi Pieridumq́ decus.
Vnica ſpes Famæ, & Belgarum gloria, qualem
Non ſert, nonq́ tulit, nec feret Ypra parem.

IN

IN EASDEM NVPTIAS
AD
PHOEBVM.

WITSIADAE & CLYTIAE, felici copula amantum,
Dic mihi, Phœbe pater, quæ ſatis apta precer?
Sic ego. ſic Phœbus, Votis hoc omnibus Vnum
Poſce, ait, Vt Vates pullulet inde nouus;
Amborum & paribus caleant præcordia flammis,
Tunc quoque cùm fuerint hæc anus, alter auus.

IN AMORES
DOMINI DE LYCQVES
ET
MARGARITÆ STEELANDÆ WISSENKERKÆ HEREDIS.

LOTVS ab Oceano quoties ſeſe hoſpite Phœbus
Tollit, & Eois cuncta ſerenat equis;
Te ſolem in terris cælo Sol lucidus alto
Dum Videt, attonitus deiicit ora pudor,
Te ſtupet, & radios te te Vná in Virgine figit,
Et iubar è radiis colligit ipſe tuis.
Nec Veterem Daphnes magè iam ſuſpirat amorem,
Nec pulchra Clymenes, quo ſolet, igne calet:
MARGARIS aſt oculis ſitientibus Vnica oberrat,
MARGARIDEMq; oriens occiduuſq; Videt.
Ardet, & in flammas modò Vertitur, & modò in Vndas
Liquitur, & totus LYCQVIVS eſſe Velit;

O felix

O felix LYCQVI, *Dis fortunatior ipſis,*
Cui licet, eſt Diuo quod licuiſſe nefas!

IN NVPTIAS
DOMINI DE LOIRE
Atque
ANNÆ COVDENHOVIÆ VIRGINIS.

LABERE *maiori, Liger incite, labere curſu,*
Labere, Acidalijs labere maior aquis:
Labere felici deſponſa per oſtia curſu,
Frigidus vt tepidis ferueat hortus aquis;
Et nouus ex horto Liger, ex Ligeri nouus hortus
Germinet, & felix ſurgat vtrimque ſeges.

IN NVPTIAS
PETRI WYNCKELMAN
Atque
ALDEGONDÆ SCHOORMAN.

MAS *(res mira) mari, licito illicitoq́; Hymenæo*
Iungitur. ænigma quis neget Oedipodis?
Res tamen è tripode eſt, & iure & lege probata,
O noua inauditi copula coniugij.

IN NVPTIAS SEIANI.

HAVD *leuis eſt paſſim iactata parœmia vulgo,*
Bis pueros canos quæ canit eſſe ſenes.

Ille

Ille ſenex, puer ille ſenex, cui Ganda regenda
Eſt data, qui rector vix tamen ipſe ſui,
Ille inquam, morio ille ſenex, Peliaſq; recoctus,
Ille nouus ſponſus, bis puer ille ſenex
Hoc probat, vxorem vernanti ætate puellam
Dum ſibi decrepito non leue ducit onus.
Infelix virgo, vetulo malè nupta marito,
Nulla feres Veneris gaudia, nulla tori,
In paritate Venus, diſpar tibi totus at ille eſt,
Et tibi, quàm coniux, dignior eſſet auus.
Scilicet haud oneris ſat habet Reſpublica Ganda,
Accedis vetulo tu quoque maius onus.
Quàm bene Gandauo eſt, hìc dum regit vrbis habenas,
Tam bene cum puero nupta futura ſene es.

IN CONFARREATIONEM

CORVINI NOB. ET TVCCÆ ANCILLÆ.

EVMENIDES *gaudete, Charon ſociatur Erynnis*
Dote nouâ diues Regia Ditis erit.
Iſta picem & ſulphur Stygio accumulabit Auerno,
Turpiaq; incerti pignora coniugij.
Cymbam animis atque ære grauem, lacerataq; vela
Naufragij tabulas conferet ille ſui.
EVMENIDES *gaudete, &c.*

IN CONCORDIAM

LÆLI ATQVE ÆLIS.

BELLVM *coniugium, bellum par, copula bella,*
LAELIVS, & LAELI *diuitis* ÆLIS *inops.*

Perpetuas hic iactat opes, & dormit in aurem,
Illa ſed à miſerâ pauperie vſque gemit.

ECHO DE HYELLA.

DIc mihi, qua reſono Dea garrula ludis in antro,
Ecquid amans? amens. Ecquid amare? mare.
Quid curæ? dura. Quid amor? par cor. Quid HYELLA?
Bella. Sed an diues & bene nata? cata.
An ſapiens? capiens. An clara ab honore vel ore?
Ore. Sed an facilis? lis. Mala Thaïs? ais.
Quo capienda modo? nodo. Quo? rectè an amando?
Dando. Quid dem? rem. Non habeo, ergo abeo.

IN NVPTIAS

FRANCISCI DARANDA

Atque

ANNÆ ZEVERIÆ

Priuignæ meæ

AD

IESVM CHRISTVM HYMENÆVM VERVM.

CHRISTE, *tori caſti felix Hymen, alme Hymenæe,*
CHRISTE *maritalis lumen & aura facis;*
Adſpice ſiderei thalami de ſede benignus
Supplice par thalami quod tibi mente litat,
Ante tuas humiles aras dum mutua pangunt
Fœdera, non vlla diſſoluenda die:

Fœdera

Fœdera quæ ſobolt generatim in ſæcla tuenda
Ipſe tuus primùm ſanxit in orbe Parens:
Fœdera præcipuo quæ tu dignatus honore es,
Verſo olim in Bacchum rore liquentis aquæ.
Ergo tuis, placitisq́; tui longè antè Parentis,
CHRISTE, *faue, & ſponſis dux paranymphus ades.*
Vnum velle duos, vnum fac nolle ſequatur;
Vnus amor ſobolis, cura ſit vna domus.
Vna fides, atque vna tui reuerentia honoris;
Quam nulla impietas, nulla reuellat Eris.
Sic modò quos thalamus, tumulus pòſt iunget, eoſdem
Iungat in Elyſio pax ſine fine tuo.

AD EVNDEM

IESVM CHRISTVM
PANEM VERVM

PRO

MARIA PANTINA
Dum ſe Deo ſacrat.

CHRISTE, *tuarum ouium* PAN *vere; piiſſime* CHRISTE,
Pro grege cui vitam ponere dulce fuit;
Diſpice de Patrio, Paſtor bone, diſpice ouili,
Et pia PANTINAE *ſuſcipe vota tua.*
Illa tibi Sponſo niueam cum corpore mentem,
Illa tibi zonam ſacrat, & illa comam.
Pro quibus officiis & caſti pignore amoris
Pane tuo Sponſam, PAN *bone, paſce tuam.*

AD

IIRMEIAM PIERSSENÆVM I. V. D.

NAVIGAT omnis amans, & habet ſua vela Cupido,
Crede, ſolo in ſolido, nauigat omnis amans.
Et quæ nauigiis, quoque quadrat amoribus ætas.
Res vaga nauigium, res vaga præpes amor.
Vt dubia vnda maris, dubius ſic æſtus amare eſt;
Vtq; leuis ventus, ſic Venus ipſa leuis.
Pallet vt omnis amans, ſic nauita pallet & omnis;
Ille metu dominæ, naufragij ille metu.
Sperat vt omnis amans, ſic nauita ſperat & omnis;
Iſte ſuos portus, nec minus ille ſuos.
Nauita Tyndaridas, ſibi Tyndarin inuocat alter;
Hic cœli, ille ſua à ſidere pendet heræ.
Nauta ſuos Euros, oculos explorat amator;
Hic cubat ante fores, incubat ille foris.
Vnus vtrique labor, meta & ſcopus vnus vtrique eſt;
Hunc ſtimulat quæſtus, hunc ſuus æſtus agit.
Experto expertus loquor, & non neſcius ipſe es,
Quàm penitus diſtant nare & amare nihil,
Multa Cupidineo iactatus in æquore nuper
Vincis, & incolumi remige litus adis.
Nec mirum. Venus orta mari mare ſternit amanti,
Mollibus & Zephyris carbaſa tendit Hymen.
Fauſtus Hymen, noſtro tedam qui primus amori
Pretulit, & ſtudio continuo auxit Hymen.

MAXÆ-

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER VIII.

AD

IOANNEM BOCHIVM S. P. Q. ANTVERPIENSI à Secretis.

POMA det Alcinoo, Cræſo aurum, qui tibi carmen;
Pauca tamen, BOCHI, *carmina dono tibi,*
Difficiles nugas, Anagrammata, prima Lycophron
Quæ dedit Inachiis fonte reperta nouo.
Inde per Auſonios dextro deducta canali,
Dignum opus ingenio viſa fuere meo.
Exiguum verſu, magnum ſed acumine; ſolo
Quo tibi ſi placeo, Delius alter ouo.

ISABEL CLARA EVGENIA AVSTRIA.

Aue ſalutaris Vrania Belgicæ.

DICAT AVE, *bis dicat* AVE, *cui publica cordi*
Lætitia eſt, populi vox ſonet omnis AVE.
Ecce, SALVTARIS *verè aurea &* AVSTRIA BELGIS
Appulit VRANIE, *vox ſonet omnis* AVE.
Appulit ô tandem clariſſima CLARA ISABELLA,
Appulit EVGENIE, *vox ſonet omnis* AVE.

IN ANAGRAMMATISMVM Gallicum

MARIE DE MELEVN

Princeps de Ligne.

L'ame de Mineruε.

QVAE *Dea? quæ rorem ſuperat candore marinum?*
An Thetis? ánne maris edita rore Venus?
Non ita: namque maris fugit hæc moderatior æſtum.
Anne igitur magni eſt nupta ſororq; Iouis?
Falleris: hæc faſtus tumida Iunonis & iras
Vitat, & impuri crimina nota Dei.
Æmula an eſt igitur fraterni luminis? abſit:
Illa notho, proprio lumine at iſta micat.
An Charis? exſuperat Charites. an Pegaſidum vna?
Pegaſidum dotes ſola habet iſta nouem.
Muſarum ánne igitur decus & regina MINERVA *eſt?*
Rem capis, hæc certè eſt; illius aut ANIMA *eſt.*

IN

IN ANAGRAMMATISMVM
Filiæ eiuſdem

IOLANTE DE LIGNE

Filia Princip. de Ligne, vxor Comitis Fontenoiæ.

O gentille Diane.

BELLA IOLANTA *nouam quis te neget eſſe* DIANAM,
Si quæ te peperit Dia MINERVA *fuit?*

CAROLVS-PHILIPPVS DE RODOVAN BERLEGHEMIVS.

Pius Middelburgi Præſul honore placeo.

CAROLE, *quis cælo mitræ radiantis honorem*
Agnatum capiti non putet eſſe tuo?
Qui quod es, & quondam quod eris nolente, volente,
Inuidia hoc olim vix bene natus eras;
Quaꝗ adeò nomen tibi lux dedit, inſimul omen
Et decus & titulos edidit illa tuos.
Illo macte eſto, nec te quæſiueris extrà:
Intus habes cornu diuite, quidquid aues.
Hinc quod es, ex merito, MIDDELBVRGI PIVS *audis*
PRAESVL, *& ingenito more &* HONORE PLACES.

FÆDERICVS DE IVE.

Abbas Marolij.

Veræ fidei decus.

ÆQVABVNT *alij magnis tua nomina* DIVIS,
O Diuûm atque hominum, DIVE, *perennis (amor,*
Fœderaq́; optata per te, FEDERICE, *quietis*
Ceu poſtliminio mox reditura canent.
Vera canant, quaſo; nec te tua vota, nec illos
Nominis augurium fallat inane tui.
Interea ipſe tuæ venerans procul aurea Famæ
Templa, profanato non adeunda pede;
Eminus, en, veſtras iacio rude carmen ad aras,
Et tibi quo poſſum ture poëta lito.
Ture, quod agnatâ tibi nominis halat ab aurâ,
Teq́; palàm fama laudat odore bona.
Non tua quòd bifida radiat frons preſſa tiarâ;
Non quòd opum largus, pauperibuſq́; pius;
Non quod ab eloquio tibi cedat Adraſtus, ab alto
Conſilio Neſtor, relligione Numa;
Non hoc, non, inquam, te nomine publica primùm
Fama probat, quamuis hac quoque parte probat:
Sed magè quòd ſanctis doctrinam moribus æquans,
Spartam animis, rebus nomina, dicta fide;
Nominis ex merito VERAE FIDEI DECVS *audis,*
O decus, ô tanto nomina digna viro!
Tu quoque DIVE *tuo digniſſime munere Præſul,*
Omine quod certo te, quod es, eſſe probat.
Quilibet elatos auidè venetur honores,
Tu FIDEI VERAE, *nomine teſte,* DECVS.

ANTO-

ANTONIVS TRIESTIVS

Antiſtes ius nutrio.

QVID *non grande tui tibi ſpondet nominis omen,*
Muſarum & iuris, TRIESTI, *vtriuſq; decus?*
Qui ſacer ANTISTES *præſago anagrammate, & idem*
IVS NVTRIRE *tuo diceris ipſe ſinu.*
Et bene; nam quî non IVS NVTRIAT *ille ſeuerum,*
Vbere quem proprio NVTRIIT *ipſa Themis?*
Et quî non meritò ANTISTES *pius audiat ille,*
A puero Pietas quem ſacrat alma Deo?
Tantùm perge Deo duce, & auſpice nomine, & olim
Haud dubiè ANTISTES IVS*q; pium q; cole.*

SIMON ARENTS.

Officialis Gand.

Mars & Sinon..

MACTE *Aquila, æterni Iouis armiger inclyte, macte,*
Macte SINON *aſtu,* MARS *noue macte manu.*
Macte inquam; dolus an virtus, quis in hoſte requirat?
Macte tuo hoſtiles tollere Marte ſtriges.
Harpyium genus, in ſpolia atque incendia natum,
Per te vulturiis quod noua præda feris;
Iamdudum meritas perſoluit funere pœnas,
Turba nocens pedicis illaqueata tuis.
Sic olim vafer ille SINON, *ſic cautus Vlyſſes*
Inuaſere nouo Pergama capta dolo.

Quod non vis potuit, potuit ſolertia: & ipſe
Quod non enſe potes, dexteritate potes.
Ingenium ſuperat vires, & conſilij expers
Mole ſua virtus præcipitata ruit.
Artibus his ſuperas victor, Martemq́ calentem
Prouidus optatâ proſperitate regis.
Ambiguum potiórne cluas vel Marte vel arte,
Dignior an Myſtes, Dux magè an eſſe queas.
Omnia ſed ſolus ſimul eſto, Dux Aquila, & MARS,
Iudex, myſta, SIMON, nec minus arte SINON.

SERVATIVS STEELANT

Wiſenkerkæ Dominus, Vvaſiæ Prætor.

In te ſtet vera ſalus.

SERVATI, *cui ſeruanti ſeruata nequiret*
Reddere ſeruandi VVASIA *tota vicem;*
Hoc quod habes, ſed te quod habere es neſcius ipſe,
Quodq́ ego non habeo, me tribuente cape.
Hui! quid tanto dignum hic promiſſor hiatu
Fert? ais, & plenâ ſpe mea dona voras.
Atqui ea iamdudum penitus tibi munera inhærent.
Prome, ais; at nomen iam tibi promo tuum.
Magnum verò aliquid, dices, mea nomina ſi des:
Nominis at nucleum iam tibi dono tui.
Te fugit hic nucleus, tamen hunc non effugis ipſe:
Te latet hic, in te ſed tamen ille latet.
Prô ſuperi! quantum eſt tenebroſa noctis vbique,
Si quoque nos ipſos nomina noſtra latent!
SERVATI STEELANDE, *tuo ſic nomine teſte*
IN TE VERA SALVS *non meditata latet.*

Nil

Nil igitur mirum, ſi publica commoda ſerues,
IN TE, SERVATI, *cùm* STET *&* *ipſa* SALVS.

GERARDVS BLAESERIVS
Clariſſimus Gand. Conſul.

Laude regas res vrbis.

LAVDE REGAS RES VRBIS, *habent tua nomina conſul:*
Quæ tibi ſi temere quis data ſortè putet;
Nominis ille expers & honoris & vrbis, onagros
Aut regat, aut onagris ipſe regendus eat.

PETRVS ÆLYAS
I. V. L.

Tu aliis præes.

QVANTVM *Luna faces pleno premit orbe minores,*
Quantum Sol Lunam, Lucifer aſtra PRAESIT;
Tantum ALIIS TV, PETRE, PRAEES *docili indole mentis,*
Nominis inuerſi quod probat ordo tui.
Ergo tuo merito tibi debita iure ſacratur
Laurea, per numeros concelebranda meos.
DIgna petro LaVrVs ConfertVr In Vrbe DVaCo,
BIs deCIMâ AVgVstI LVCe nItente poLo.

ANNA DE SVASTRES,
Domina de Wackene.

Tu Dea res ſanans.

VLCERA *regnorum Iuno, Venus vlcera amorum,*
Cæca animi SANAT *vulnera Glauca Dea,*
Corporis infeſtos SANAT *Panacæa dolores,*
Qualibet & propriâ Diua triumphat ope.
T*v quoque* RES *ægras cùm,* DIA SVASTRIA, SANES,
Digna tuo mulier nomine, digna Deo es.

MARIA DE RODOVAN.

Vera Romana Dido.

NESCIO *ſi* DIDO *fuerit* ROMAE *vlla; ſed ipſa*
Talis es, & Belgis DIDO *renata noua es.*

IVSTA VYTIA
TEVTONICE

Vxor mea.

IOSYNE VYTS.

I ſine vitio.

VITA *mea vita, dulciſsima* VYTIA, *vitam*
Expertem VITIO *quæ grauio re trahis;*
Nominis inuerſi tibi quàm bene conuenit ordo,
Te SINE *qui* VITIO, *quod facis,* IRE *monet!*

IVSTA

IVSTA DE VRIENT.

Filia mea.

In te Dea Virtus.

SIT *precor, atque olim, pro nominis omine,* VIRTVS
Indigetet merito te, mea IVSTA, *polo.*

ANNA WINTERS.

Neptis mea.

Tiranna Venus.

AT *tu bella caue, nec cures eſſe quod audis.*
Turpe immitis Amor, turpe TIRANNA VENVS.

IN ANAGRAMMATISMVM nominis mei

FRANCISCI HARDVYNII EPIGRAMMA.

MAXMILIANVS DE VRIENDT.

Anumam Rex Delius indit.

DVM *mecum Aonio ſtillantem nectare venam*
Carminis obſtupeo, docte Poëta, tui;
Et Genium, Venereſq́, & non ſine pondere & arte
Hinc ſale conditos, mellinâ inde iocos;
O quoties dixi, non hæc ſine numine Diuûm,
Non hæc humanû dexteritate facis!

Sed,

Sed,reor,iſta facis Phœbo duce,& auſpice Phœbo;
Maior enim humano ſpiritus iſte ſono eſt.
Fallor? an hoc ipſum ſic firmat & innuit eſſe
Hoc anagramma tui nominis omen habens?
Omen habens anagramma, ANVMAM REX DELIVS
O tibi non olim nomen inane datum! (INDIT,
Nomen,ſed ratio quod conſtans finxit, & in quo
Hoc, quod es,occultè DI *Voluere tegi.*

SVR L'ANAGRAMME SVSDIT
SONNET

DV Sr IEAN DE SECLYN
SEIGNEVR DE PREVX.

CE n'eſt,mon cher DE VRIENDT, ſans raiſon qu'on eſtime
Le nom eſtre des biens & des maux le deuin.
Ainſi le grand Ronſard fuſt nommé du Deſtin
La Roſe de Pindare, en honneur de la rime:

Et toy eſleu pour croiſtre & atteindre la cime
De la ſainte vertu, tu as vn nom diuin;
Nom vrayement honoré, puis que le ſort bénin
Ta gloire & ton ſçauoir par luy ſeul nous exprime:

Nom, qui en toy a mis vn Ocean de vers,
Qui te feront heureux viure par l'vniuers,
Et qui gailliards vaincront la fiere deſtinée.

Par ce nom nous ſçauons, que pour liberal don
Comme a ſon bien aimé, comme a ſon nourriſſon,
LE ROYAL DELIEN VOVS A L'AME INSPIREE.

A VL-

AVLTRE

DV S[r] DE BARBAIZ.
SVR LE NOM DE L'AVTHEVR.

VRIENDT, tu es vray ami, d'vne amitié notable
Aimant ſincerement cil qui te veut aimer,
Non comme courtiſan; qui te fait eſtimer
Et priſer de chaſcun d'vne vertu loüable.

Fais donc que ton amour ſoit conſtant & durable.
Autrement on pourroit à bon droict te blaſmer
De ioindre en vn ſubiect & l'amour & l'amer,
Puis que ton ſurnom veut que tu ſois amiable.

L'aimant aime le fer, le fer aime l'aimant,
Et generalement tout aime ſon aimant.
Tu aime & fais grand cas de neuf ſages Pucelles,

Elles en contrechange & reciproquement
Te portent amitié, & bienheureuſement
Font diſtiller en toy leurs ſciences plus belles.

ANTONII VAN HVERNE
DOMINI DE SCHIERVELT
EPIGRAMMA
IN NOMEN
MAXÆMYLIANI VRIENTI.

MAGNA *exempla duûm Romanâ è gente Virorum*
Fers tecum in magno nomine, VRIENDE, *tuo.*

MAXI-

MAXIMVS *in populo cunctando reſtituit rem,*
Iuſta ſuis miſcens pondera conſiliis.
ÆMILIVS *virtute potens, & fortibus armis,*
Egit victrices ſemper in arma manus.
Sic tu dans facilem maturo in carmine venam,
Diceris à Muſis MAXIMVS ÆMYLIVS.

IOANNIS BAPTISTÆ TRIESTI.

EPIGRAMMA IN SYMBOLVM

Atque

INSIGNIA GENTIS VRIENTIÆ Bonis auibus.

ILLE BONIS *quicumque* AVIBVS *tibi ſymbola finxit,*
Ingenio is, VRIENTI, *dexteriore fuit.*
Res ſacra, res leuis eſt, Volucriq; ſimillima, Vates:
Dulce canit Volucris, dulce Poëta canit.
Iſte per ora virûm, liquidas volat illa per oras;
Remigio hæc pennæ, notitiâ ille ſui.
Gaudet Auis ſiluis, ſecreto rure Poëta:
Fonte bibit Volucris, fonte Poëta bibit.
Paſcit Auis parcè, ſunt fercula parca Poëtæ,
Incubat hæc nidis, incubat ille libris.
Hæc parit, ille parit, fouet & ſua pignora vterque,
Miſſa-manu toto dum ſimul orbe volent.

Omnia

Omnia conueniunt, tantùm diſcrimen in illo eſt;
Eſt ſua mors Auibus, morte Poëta caret.
Solis Auis ſibi ſola ſuo de funere vitam
Excitat, hoc Vates rarior omnis habet.
Macte BONIS *felix* AVIBVS, VRIENTI *bone, macte,*
Macte BONAS *Phœnix nobilis inter* AVES.

IANI LERNVTII
IN LAVREAM AVCTORIS
Epigramma.

DVLCE *decus Patriæ, & vatum laus inclyta,* VRIENTI,
Cuius virtuti peruia ad aſtra via eſt:
Dum ſtudio intento celebras Helicona virentem,
Quæſitum meritis & tibi nomen habes;
Te Lauro atque auro excipuum tua Ganda coronat,
Et tibi publicitus commoda priua fauet.
Conferat vtq; fauens tibi largiter omnia, quæ vis;
Non ſoluenda tamen viuet in ære tuo.
Cur ita? quæ tribuit, Fortunæ munera habentur:
Quamlibet ampla, leui Fors agit illa rotâ.
At quæ tu donas nullo violantur ab æuo,
Ingenioſa negant hæc monumenta mori.

AD

AD
IOANNEM BOCHIVM
S. P. Q. ANTVERPIENSI
à Secretis.

PLVRA merebaris, ſed carmina plura daturum
Lauriger Aoniâ riſit ab arce Deus:
In mare fert latices, & ululas deportat Athenas,
Plurima qui BOCHIO *carmina donat, ait.*
Dixit, &, in Clarij ne peccem oracula Phœbi,
Vela lego, & lentâ ſtat mihi linter aquâ.

MAXÆ-

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

EPIGRAMMATVM LIBER IX.

Qui propriè Chronographicorum.

ANNÆ PERENNÆ.

DIVA, *tuis ſacrata adytis quæ pauca ſub auras*
Ituriunt Muſæ pignora prima meæ;
Temporis & rerum memorem teſtantia curam,
Singula per numeros rite notata ſuos;
Illa tui genium, precor, expertura fauoris
Alite felici docta per ora volent,
Ad ſenium ventura agili viridiq; iuuentâ,
Æmula naturæ, DIVA PERENNA, *tuæ.*
Sic tua ſancta hederis cumulanda perennibus Ara
Adſpiret Muſæ ver quoque iuge meæ.

IN

IN OBITVM

Potentiſſ. Principis

PHILIPPI II.

HISPAN. REGIS.

M. D. XCVIII.

OCCIdIt aC ſVpereſt nato doMInante phILIppVs:
sIC CVbat atqVe orItVr phœbVs In orbe noVVs.

IN OBITVM

IOANNIS AVSTRIACI

BELGICÆ PROREGIS.

M. D. LXXVIII.

tVrCarVM, heV, CLades ConCIdIt aVſtrIaCVs.

IN OBITVM.

Sereniſſimi Principis

ERNESTI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ

M. D. XCV.

VenIt, reXIt, obIt DVX aVſtrIVs, IngeMe beLga.

IN

IN OBITVM

ALEXANDRI FARNESII
PARMÆ ET PLACENTIÆ
DVCIS
GVBERNATORIS BELGICÆ.
M. D. XCIII.

EHEV, Væ BeLgIs, ParMæ D V X eXſpIraVIt.

IN OBITVM

ROBERTI A MELODVNO
MARCHIONIS ROBASII
EQVITVM MAGISTRI.
M. D. LXXXV.

MARS BeLga, heV, CadIt, heV, faCe, gVrgIte, ponte,
Carlnâ.
CaVſſa ſVbeſt tantæ non ſatIs Vna neCI.

IN HYMENÆVM.

Sereniſſimorum

ALBERTI ET ISABELLÆ
ARCHIDVCVM AVSTRIÆ
BELGICÆ PRINCIPVM.
M. D. XCVIII.

AVSTRIACA AVſtrIaCo, gerMano nVbIt Ibera,
RegIa progenIes Cæſareo generI,

ALBER

aLberto IsabeLLa, datVr dos beLgIa: feLIX
HeſperIæ & nobIs donet Id eſſe deVs.

IN VICTORIAM CALETENSEM.
M. D. XCVI.

I.

aVstrIaCa VIrtVte IaCent Vrbs arXqVe CaLetI,
angLe treMIs, pLoras gaLLe, bataVe perIs.

II.

VIrtVte aVſtrIaCâ LVget proſtrata CaLetIs:
LaVs sVperIs, regI LaVrea, paLMa dVCI.

IN VICTORIAM ARDRESII.
M. D. XCVI.

I.

aVſpICIIs dVCIs aVſtrIaCI doMIta ardrea, ſVppLeX
tradIdIt heſperIo CoLLa terenda IVgo.

II.

eXpVgnata ardra eſt, CVr pLoras gaLLe? reſeCtIs
reſtIbVs IncIpIaM qVòd noVVs Ire Capo.

IN VICTORIAM HVLSTANAM.
M. D. XCVI.

aLbertVs ſVperat, CVſtodIt bIChIVs hVLſtVM:
fLandrIa ſeCVrIs oCIa rebVs agat.

IN

IN CAPTAM CAMERACVM.

M. D. XCIV.

VIrtVtI AVſtrIaCæ ConCeſsIt saMarobrIna:
BaLaIgnIe, fVrens nVnC VbI CrIſta tVa eſt?

IN CAPTAM VRBEM AMBIANORVM.

M. D. XCVII.

sparge nVCes pVerIs, LeVIs & sIne pondere gaLLe:
eXCIdIs AMbIano; ſtVLte, reLInqVe nVCes.

DE PACE INITA

Inter potentiſſ. Chriſt. Orbis Principes

PHILIPPVM II.

Atque

HENRICVM IV.

HISP. ET. GALL. REGES.

M. D. XCVIII.

I.

septIMa LVX IVnI, eXoptatâ fLorIda paCe,
AVſtrIaCas AqVILas, LILIa gaLLa beat.

II.

paX CoIt HENRICO regI AVſtrIaCoqVe PHILIPPO;
hInC aVres BataVæ MattIaCæqVe paVent.

ILLAV-

III.

AVrea PaX GaLLos RegI ConIVngit Ibero:
AngLe proCaX CaVdIs dIſCe tIMere tVIs.

IN CAPTIVITATEM

PACIS CVPIENTIVM GANDAVI.

M. D. LXXXIV.

TER qVIno MaIVs terræ præfVLſerat ortV,
QVo nos PaCIfICos CarCer opaCVs habet.

IN PACEM

REIPVB. GANDENSI RESTITVTAM.

M. D. LXXXIV.

NVNC eſt bIbendVM, nVnC pede LIbero
pLangenda teLLVs, FLandrICa PaX redIt.

IN DEDITIONEM

EIVSDEM CIVITATIS,

M. D. LXXXIV,

POST Longas ſtrages, dVrIqVe perICVLa beLLI
CeſsIt ALeXandro Ganda sVbaCta faMe.

IN

IN DEDITIONEM ANTVERPIÆ

M. D. LXXXV.

IsVRIEs, Mars beLLIpotens, pons, CLaſsIs, & æſtVs
AdIeCtæ sVbdVnt CoLLa sVperba IVgo.

IN MORTEM

GVILIELMI NASSOVII AVRIACI.

M. D. LXXXIV.

CORRVIT IratI Denâ proſtratVs IVLI
LethIfero DeLphIs ſCLopetI VVLnere prInCeps.

IN MORTEM

MARIÆ STOVARTÆ SCOTORVM REGINÆ.

M. D. LXXXVII.

SCOTORVM heI, regIna perIt perCVſſa ſeCVrI.
CaVſſa fVIt tantæ IeſabeL Vna neCIs.

IN MORTEM

HENRICI VALESII GALLORVM REGIS.

M. D. LXXXIX.

EX CadIt HenrICVs. non eſt LeX dIgnIor VLLa,
QVàm neCIs artIfICes arte perIre parI.

K IN

IN BATAVOS

SILVA-DVCIS NEQVIDQVAM TENTATA.

M. DCI.

HAVD sILVaM CædIs, trep IdVs ſed CedIs, & aVCtVs
ConſpICVo naſo, BataVe GeVſe, ſVgIs.

IN TVRRIM D. BAVONIS GANDAVI FVLMINE DEFLAGRATAM.

M. DCII.

FLANDRORVM prINCeps tVrrIs, præſente IsABELLA
prIncIpe, GandaVo prIncIpe In Vrbe fLagrat.
Aſt ô DI patrIæ, nobIs prohIbete sInIſtra
AVgVrIa, atqVe hoſtes taLIa sIgna petant.

STATVS ECCLESIASTICVS IV. FLAND. MEMBRIS ADNEXVS.

M. D. XCV.

ECCE reCens IVnCta eſt FLandræ rota qVInta qVadrIgæ,
DI trIbVant CVrsV deXterIore Meet.

IN TERTIVM CONSVLATVM

GERARDI BLASERII PATRICII GANDEN.

M.D.LXXXVII.

VIrIbVs, InsIdIIs aMbIVIt Cæſar honores
ConsVLIs, hIC VLtro ter tIbI CLaret honos.

IN CONSVLATVM

Nobilis viri

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMII.

M. D. XCIV.

xVrbIda Cedat ErIs, reMeat PaX aVrea, TrIeſto
ConsVLe, PLebs, prætor, CVrIa, CLerVs oVant.

IN OBITVM

WILHELMI DAMASI LINDANI

II. GAND. EPISCOPI.

M.D.LXXXVIII.

LVXIt Vt (ô LVCtVs!) AVrora ſeCVnda NoVeMbrIs,
PræsVLe sVrrepto LVXIt qVoqVe Ganda ſeCVndo.

IN OBITVM

IACOBI BOGHARDI

EQVITIS,

FLANDRORVM CONCILII

PRAESIDIS.

M. D. XCVII.

ConsILII fLandrI generosVs deperIt HORTVs.
HoC LeX faCta eXLeX & TheMIs Ipſa doLet.

IN OBITVM

ABRAHAMI ORTELI

COSMOGRAPHI REGII.

M. D. LXXXIV.

FIne tVo, IVnI, fataLIs, noXIe IVnI,
ORTELIVM CæLo CoLLoCat VranIe.

IN OBITVM

Nobilis Matronæ

MARIÆ VAN ROYEN

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMI

CONIVGIS.

M. D. XCV.

IVLI oCtaVa dIes LVCeM tIbI, RoYIa, CLaVsIt:
LætIor In sVperos It tIbI VIta poLo.

IN

IN OBITVM

PHILIPPI TRIESTI

AVGHEMI

GANDAVI CONSVLIS.

M. DCI.

sIngVLa trIſtItIâ reſonent LoCa, trIeſtIVs, heV, heV
oCCVbat, & nIgrVM ConsVL InIVIt Iter.

IN OBITVM

ANTONIOLÆ VRIENTIÆ

FILIÆ.

M. D. XC.

MartIs erat ſeXtVs, VItæ annVs ſeXtVs & hora
seXta, fVgaX VItæ dIffVgIt aVra tVæ.

IN NATALEM

IOANNIS BAPTISTÆ MEYNE

OLIVERI QVÆSTORIS

EX

ISABELLA LAVTIA FILII.

M. D. XCII.

MEYNE pater, genItrIX LaVta eſt ISABELLVLA, IANVS
nVnCVpor, In CanCro soLe natante feror.

IN NATALEM

DANIELIS STOPPELARDI IOANNIS

EX

ANNA PARENTE FILII.

M. D. XCVI.

INDIGETOR DANIeL, stoppLardâ è gente, IOANNE
Patre, parente ANNA, ſtIrpe Parente ſatâ,
NaſCor GandaVI, MaIo regnante, qVId VLtra?
Cetera ſCIt, qVI ſCIt fata fVtVra DeVs.

IN NVPTIAS

ANTONII DE VVLDERE IVRISCONSVLTI

ET

IODOCÆ PROSTIÆ.

M. D. XCV.

LAETA patet CæLo, patet, en, LVX ſeXta NoVeMbrIs
ConſCIa VVLderI ProſtIoLæque torI.

IN

IN NVPTIAS

FLORENTI EECHOVTI
ET
ADRIANÆ RYMIÆ HVNDELGHEMIÆ.

M. D. XCIX.

DIVA faVe CATHARINA, tVâ par nobILe LVCe
IVngItVr eeChoVto RYMIa LeCta VIro.

IN OBITVM

PHILIPPI DE LANGLEE HEYNE BARONIS PECQVIÆ HEREDIS.

M. DCII.

LANGLEO fataLIs erat LVX ſeXta noVeMbrIs,
FeLIX In patrIo nVnC CoLIt IpſepoLo.

AD

IOANNEM BOCHIVM
S. P. Q. ANTVERPIENSI
à Secretis.

PLVRA *merebaris, ſed carmina plura daturum*
Lauriger Aoniâ riſit ab arce Deus:
In mare fert latices,& vlulas deportat Athenas,
Plurima qui BOCHIO *carmina donat, ait.*
Dixit, &, in Clarij ne peccem oracula Phœbi,
Vela lego, & lentâ ſtat mihi linter aquâ.

MAXÆ-

MAXÆMYLIANI VRIENTI GANDENSIS

PIGRAMMATVM LIBER IX.

Qui propriè Chronographicorum.

NNÆ PERENNÆ.

IVA, *tuis ſacrata adytis quæ pauca ſub auras*
Ituriunt Muſæ pignora prima meæ;
Temporis & rerum memorem teſtantia curam,
ingula per numeros rite notata ſuos;
tuis genium, precor, expertura fauoris
lite felici docta per ora volent,
entium ventura agili viridiq́; iuuentâ,
Æmula naturæ, DIVA PERENNA, *tua.*
ua ſancta hederis cumulandá perennibus Ara
dſpiret Muſa ver quoque iuge mea.

IN

IN OBITVM

Potentiſſ. Principis

PHILIPPI II.

HISPAN. REGIS.

M. D. XCVIII.

OCCIdIt aC ſVpereſt nato doMInante pHILIppVs:
sIC CVbat atqVe orItVr phœbVs In orbe noVVs.

IN OBITVM

IOANNIS AVSTRIACI

BELGICÆ PROREGIS.

M. D. LXXVIII.

tVrCarVM, heV, CLades ConCIdIt aVſtrIaCVs.

IN OBITVM

Sereniſſimi Principis

ERNESTI ARCHIDVCIS

AVSTRIÆ

M. D. XCV.

VenIt, reXIt, obIt DVX aVſtrIVs, IngeMe beLga.

IN

IN OBITVM

ALEXANDRI FARNESII
PARMÆ ET PLACENTIÆ
DVCIS
GVBERNATORIS BELGICÆ.
M. D. XCIII.

EHEV, Væ BeLgIs, ParMæ DVX eXſpIraVIt.

IN OBITVM

ROBERTI A MELODVNO
MARCHIONIS ROBASII
EQVITVM MAGISTRI.
M. D. LXXXV.

MARS BeLga, heV, CadIt, heV, faCe, gVrgIte, ponte, CarInâ.
CaVſſa ſVbeſt tantæ non ſatIs Vna neCI.

IN HYMENÆVM.

Sereniſsimorum

ALBERTI ET ISABELLÆ
ARCHIDVCVM AVSTRIÆ
BELGICÆ PRINCIPVM.
M. D. XCVIII.

AVSTRIACA AVſtrIaCo, gerMano nVbIt Ibera,
RegIa progenIes Cæſareo generI,

ALBER-

aLberto IsabeLLa, datVr dos beLgIa: feLIX
HeſperIæ & nobIs donet Id eſſe deVs.

IN VICTORIAM CALETENSEM.
M. D. XCVI.

I.

aVstrIaCa VIrtVte IaCent Vrbs arXqVe CaLetI,
angLe tremIs, pLoras gaLLe, bataVe perIs.

II.

VIrtVte aVſtrIaCâ LVget proſtrata CaLetIs:
LaVs sVperIs, regI LaVrea, paLMa dVCI.

IN VICTORIAM ARDRESII.
M. D. XCVI.

I.

aVſpICIIs dVCIs aVſtrIaCI doMIta ardrea, ſVppLeX
tradIdIt heſperIo CoLLa terenda IVgo.

II.

eXpVgnata ardra eſt, CVr pLoras gaLLe? reſeCtIs
reſtIbVs InCIpIaM qVòd noVVs Ire Capo.

IN VICTORIAM HVLSTANAM.
M. D. XCVI.

aLbertVs ſVperat, CVſtodIt bIChIVs hVLſtVM:
fLandrIa ſeCVrIs oCIa rebVs agat.

IN

IN CAPTAM CAMERACVM.

M. D. XCIV.

VIrtVtI AVſtrIaCæ ConCeſsIt saMarobrIna:
BaLaIgnIe, fVrens nVnC VbI CrIſta tVa eſt?

IN CAPTAM VRBEM AMBIANORVM.

M. D. XCVII.

spargenVCes pVerIs, LeVIs & sIne pondere gaLLe:
eXCIdIs AMbIano; ſtVLte, reLInqVe nVCes.

DE PACE INITA

Inter potentiſſ. Chriſt. Orbis Principes

PHILIPPVM II.

Atque

HENRICVM IV.

HISP. ET. GALL. REGES.

M. D. XCVIII.

I.

septIMa LVX IVnI, eXoptatâ fLorIda paCe,
AVſtrIaCas aqVILas, LILIa gaLLa beat.

II.

paX CoIt HENRICO regI AVſtrIaCoqVe PHILIppo;
hInC aVres BataVæ MattIaCæqVe paVent.

MILAV-

III.

aVrea paX gaLLos regI ConIVngit Ibero:
angLe proCaX CaVdIs dIſCe tIMere tVIs.

IN CAPTIVITATEM

PACIS CVPIENTIVM GANDAVI.

M. D. LXXXIV.

ter qVIno MaIVs terræ præfVLſerat ortV,
QVo nos paCIfICos CarCer opaCVs habet.

IN PACEM

REIPVB. GANDENSI RESTITVTAM.

M. D. LXXXIV.

nVnC eſt bIbendVM, nVnC pede LIbero
pLangenda teLLVs, fLandrICa paX redIt.

IN DEDITIONEM

EIVSDEM CIVITATIS,

M. D. LXXXIV,

post Longas ſtrages, dVrIqVe perICVLa beLLI
CeſsIt aLeXandro ganda sVbaCta faMe.

IN

IN DEDITIONEM ANTVERPIÆ
M. D. LXXXV.

ISVRIES, Mars beLLIpotens, pons, CLaſsIs, & æſtVs
AdIeCtæ sVbdVnt CoLLa sVperba IVgo.

IN MORTEM
GVILIELMI NASSOVII AVRIACI.
M. D. LXXXIV.

CORRVIT IratI Denâ proſtratVs IVLI
LethIfero DeLphIs ſCLopetI VVLnere prInCeps.

IN MORTEM
MARIÆ STOVARTÆ SCOTORVM REGINÆ.
M. D. LXXXVII.

SCOTORVM heI, regIna, perIt perCVſſa ſeCVrI.
CaVſſa fVIt tantæ IeſabeL Vna neCIs.

IN MORTEM
HENRICI VALESII GALLORVM REGIS.
M. D. LXXXIX.

REX CadIt HenrICVs. non eſt LeX dIgnIor VLLa,
QVàm neCIs artIfICes arte perIre parI.

IN BATAVOS

SILVA-DVCIS NEQVIDQVAM TENTATA.

M. DCI.

HAVD sILVaM CædIs, trep IdVs ſed CedIs, & aVCtVs
CõſpICVo naſo, BataVe geVſe, ſVgIs.

IN TVRRIM D. BAVONIS GANDAVI FVLMINE DEFLAGRATAM.

M. DCII.

FLANDRORVM prINCeps tVrrIs, præſente IsABeLLA
prIncIpe, GandaVo prIncIpe In Vrbe fLagrat.
Aſt ô DI patrIæ, nobIs prohIbete sInIſtra
AVgVrIa, atqVe hoſtes taLIa sIgna petant.

STATVS ECCLESIASTICVS IV. FLAND. MEMBRIS ADNEXVS.

M. D. XCV.

ECCE reCens IVnCta eſt FLandræ rota qVInta qVadrIgæ,
DI trIbVant CVrsV deXterIore Meet.

IN

IN TERTIVM CONSVLATVM

GERARDI BLASERII PATRICII GANDEN.

M. D. LXXXVII.

VIRIBVS, InsIlIIs aMbIVIt Cæſar honores
ConsVLIs, hIC VLtro ter tIbI CLaret honos.

IN CONSVLATVM

Nobilis viri

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMII.

M. D. XCIV.

TVrbIda Cedat ErIs, reMeat paX aVrea, TrIeſto
ConsVLe, pLebs, prætor, CVrIa, CLerVs oVant.

IN OBITVM

WILHELMI DAMASI LINDANI II. GAND. EPISCOPI.

M. D. LXXXVIII.

LVXIt Vt (ô LVCtVs!) AVrora ſeCVnda NoVeMbrIs,
præsVLe sVrrepto LVXIt qVoqVe Ganda ſeCVndo.

IN OBITVM

IACOBI BOGHARDI
EQVITIS,
FLANDRORVM CONCILII
PRAESIDIS.
M. D. XCVII.

ConsILII FLandrI generosVs deperIt HORTVs.
HoC LeX faCta eXLeX & TheMIs Ipſa doLet.

IN OBITVM

ABRAHAMI ORTELI
COSMOGRAPHI REGII.
M. D. LXXXIV.

FIne tVo, IVnI, fataLIs, noXIe IVnI,
ORTELIVM CæLo CoLLoCat VranIe.

IN OBITVM

Nobilis Matronæ

MARIÆ VAN ROYEN
PHILIPPI TRIESTI AVGHEMI
CONIVGIS.
M. D. XCV.

IVLI oCtaVa dIes LVCeM tIbI, RoYIa, CLaVsIt:
Lætior In sVperos It tIbI VIta poLo.

IN

IN OBITVM

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMI GANDAVI CONSVLIS.

M. DCI.

sIngVLa trIſtItIâ reſonent LoCa, trIeſtIVs, heV, heV
oCCVbat, & nIgrVM ConsVL InIVIt Iter.

IN OBITVM

ANTONIOLÆ VRIENTIÆ FILIÆ.

M. D. XC.

MartIs erat ſeXtVs, VItæ annVs ſeXtVs & hora
seXta, fVgaX VItæ dIffVgIt aVra tVæ.

IN NATALEM

IOANNIS BAPTISTÆ MEYNE OLIVERI QVÆSTORIS

EX

ISABELLA LAVTIA FILII.

M. D. XCII.

MEYNE pater, genItrIX LaVta eſt ISABELLVLA, IANVS
nVnCVpor, In CanCro soLe natante ſeror.

IN NATALEM

DANIELIS STOPPELARDI IOANNIS

EX

ANNA PARENTE FILII.

M. D. XCVI.

INDIGETOR DANIeL, ſtoppLardâ è gente, IOANNE
patre, parente ANNA, ſtIrpe parente ſatâ,
NaſCor gandaVI, MaLo regnante, qVId VLtra?
Cetera ſCIt, qVI ſCIt fata fVtVra DeVs.

IN NVPTIAS

ANTONII DE VVLDERE IVRISCONSVLTI

ET

IODOCÆ PROSTIÆ.

M. D. XCV.

LAETA patet CæLo, patet, en, L V X ſeXta NoVeMbrIs
ConſCIa VVLderI ProſtIoLæque torI.

IN

IN NVPTIAS

FLORENTI EECHOVTI
ET
ADRIANÆ RYMIÆ HVNDELGHEMIÆ.

M. D. XCIX.

DIVA faVe CATHARINA, tVâ par nobILe LVCe
IVngItVr eeChoVto RYMIa LeCta VIro.

IN OBITVM

PHILIPPI DE LANGLEE HEYNE BARONIS PECQVIÆ HEREDIS.

M. DCII.

LANGLEO fataLIs erat LVX ſeXta NoVeMbrIs,
FeLIX In patrIo nVnC CoLIt Ipſe poLo.

ANNÆ PERENNÆ S.

OMNIA fert ætas: rapidum vorat omnia tempus,
Dura terit caries robora, ſaxa ſitus,
Exedit ærugo ferrum, atque annoſa metalla,
Depaſcunt tineæ ſtragula, blatta libros.
Librorum auctores morſu aſſectatur iniquo
Liuor, & ingeniis prælia cæca mouet.
Illum Fama virens & Gloria clara retundit,
Dum crepet, atque ſuo cor ſibi dente voret.
Vilis iners hoſtis, domitus ſemperq́ domandus,
Illa velut damno fortior Hydra ſuo.
Alter vt Antæus, toties proſtratus, & idem
Fortior à lapſu proficiente pugil.
Qualis cæſa latrat canis, & magis inde relatrat,
Atrabie Liuor ſic magis vſque blatrat.
At tu Diua potens, veteris propè ſtagna Numici
Ære cui ſolido templa dicata nitent;
Dum rerum ſeries & ſæcula longa PERENNAS
Diua tuis titulis, nomine digna tuo;
Hunc ANNARE meum, victo Liuore, libellum
Si dederis, votis nil magis adde meis.

FINIS.

APPROBATIO.

EPIGRAMMATA hæc vt ſunt lepida, ita & erudita, alioſq; ad exercitium laudatiſſimum prouocant; nec habent quod Orthodoxæ fidei aut piis moribus contrarietur: proinde cum fructu imprimi poſſe cenſeo, hac 14. Decemb. 1602.

IOANNES *van Dale, Archidiaconus Gand. S. Theolog. Licentiat. Librorum Cenſor in Epiſcopatu Gandenſi.*

A01 1464789

IN BATAVOS

SILVA-DVCIS NEQVIDQVAM TENTATA.

M. DCI.

hAVD sILVaM CædIs, trepIdVs ſed CedIs, & aVCtVs
ConſpICVo naſo, bataVe geVſe, ſVgIs.

IN TVRRIM D. BAVONIS GANDAVI FVLMINE DEFLAGRATAM.

M. DCII.

fLANDRorVM prINCeps tVrrIs, præſente IsabeLLA
prIncIpe, GandaVo prIncIpe In Vrbe fLagrat.
Aſt ô DI patrIæ, nobIs prohIbete sInIſtra
AVgVrIa, atqVe hoſtes taLIa sIgna petant.

STATVS ECCLESIASTICVS IV. FLAND. MEMBRIS ADNEXVS.

M. D. XCV.

eCCe reCens IVnCta eſt fLandræ rota qVInta qVadrIgæ,
DI trIbVant CVrsV deXterIore Meet.

IN

IN TERTIVM CONSVLATVM

GERARDI BLASERII PATRICII GANDEN.

M. D. LXXXVII.

VIrIbVs, InsIgnIs aMbIVIt Cæſar honores,
ConsVLIs, hIC VLtro ter tIbI CLaret honos.

IN CONSVLATVM

Nobilis viri

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMII.

M. D. XCIV.

TVrbIda Cedat erIs, reMeat paX aVrea, TrIeſto
ConsVLe, pLebs, prætor, CVrIa, CLerVs oVant.

IN OBITVM

WILHELMI DAMASI LINDANI

II. GAND. EPISCOPI.

M. D. LXXXVIII.

LVXIt Vt (ô LVCtVs!) AVrora ſeCVnda noVeMbrIs,
præsVLe sVrrepto LVXIt qVoqVe ganda ſeCVndo.

IN OBITVM

IACOBI BOGHARDI
EQVITIS,
FLANDRORVM CONCILII
PRAESIDIS.

M. D. XCVII.

ConsILII fLandrI generosVs deperIt HORTVs.
HoC LeX faCta eXLeX & TheMIs Ipſa doLet.

IN OBITVM

ABRAHAMI ORTELI
COSMOGRAPHI REGII.

M. D. LXXXIV.

HInc tVo, IVnI, fataLIs, noXIe IVnI,
ORTELIVM CæLo CoLLoCat VranIe.

IN OBITVM

Nobilis Matronæ

MARIÆ VAN ROYEN
PHILIPPI TRIESTI AVGHEMI
CONIVGIS.

M. D. XCV.

IVLI oCtaVa dIes LVCeM tIbI, RoYIa, CLaVsIt:
Lætior In sVperos It tIbI VIta poLo.

IN

IN OBITVM

PHILIPPI TRIESTI AVGHEMI GANDAVI CONSVLIS.

M. DCI.

sIngVLa trIſtItIâ reſonent LoCa, trIeſtIVs, heV, heV
oCCVbat, & nIgrVM ConsVL InIVIt Iter.

IN OBITVM

ANTONIOLÆ VRIENTIÆ FILIÆ.

M. D. XC.

MartIs erat ſeXtVs, VItæ annVs ſeXtVs & hora
seXta, fVgaX VItæ dIſſVgIt aVra tVæ.

IN NATALEM

IOANNIS BAPTISTÆ MEYNE OLIVERI QVÆSTORIS

EX

ISABELLA LAVTIA FILII.

M. D. XCII.

MEYNE pater, genItrIX LaVta eſt ISABELLVLA, IANVS
nVnCVpor, In CanCro soLe natante ſeror.

IN NATALEM

DANIELIS STOPPELARDI IOANNIS

EX

ANNA PARENTE FILII.

M. D. XCVI.

INDIGETOR DANIeL, ſtoppLardâ è gente, IOANNE
patre, parente ANNA, ſtIrpe parente ſatâ,
NaſCor gandaVI, Malo regnante, qVId VLtra?
Cetera ſCIt, qVI ſCIt fata fVtVra DeVs.

IN NVPTIAS

ANTONII DE VVLDERE IVRISCONSVLTI

ET

IODOCÆ PROSTIÆ.

M. D. XCV.

LAETA patet CæLo, patet, en, LVX ſeXta NoVeMbrIs
ConſCIa VVLderI ProſtIoLæque torI.

IN

IN NVPTIAS

FLORENTI EECHOVTI
ET
ADRIANÆ RYMIÆ HVNDELGHEMIÆ.

M. D. XCIX.

DIVA faVe CATHARINA, tVâ par nobILe LVCe
IVngItVr eeChoVto RYMIa LeCta VIro.

IN OBITVM

PHILIPPI DE LANGLEE HEYNE BARONIS PECQVIÆ HEREDIS.

M. DCII.

LANGLEO fataLIs erat LVX ſeXta noVeMbrIs,
FeLIX In patrIo nVnC CoLIt Ipſe poLo.

ANNÆ PERENNÆ S.

OMNIA *fert ætas, rapidum vorat omnia tempus,*
Dura terit caries robora, ſaxa ſitus,
Exedit ærugo ferrum, atque annoſa metalla,
Depaſcunt tineæ ſtragula, blatta libros.
Librorum auctores morſu aſſectatur iniquo
Liuor, & ingeniis prælia cæca mouet.
Illum Fama virens & Gloria clara retundit,
Dum crepet, atque ſuo cor ſibi dente voret.
Vilis iners hoſtis, domitus ſemperq; domandus,
Illa velut damno fortior Hydra ſuo.
Alter vt Antæus, toties proſtratus: & idem
Fortior à lapſu proficiente pugil.
Qualis cæſa latrat canis, & magis inde relatrat,
A iabie Liuor ſic magis vſque blatiat.
At tu Diua potens, veteris propè ſtagna Numici
Ære cui ſolido templa dicata nitent;
Dum rerum ſeries & ſæcula longa PERENNAS
Diua tuis titulus, nomine digna tuo;
Hunc ANNA RE *meum, victo Liuore, libellum*
Si dederis, votis nil magis adde meis.

FINIS.

APPROBATIO.

EPIGRAMMATA hæc vt ſunt lepida, ita & erudita, alioſq́; ad exercitium laudatiſſimum prouocant; nec habent quod Orthodoxæ fidei aut piis moribus contrarietur: proinde cum fructu imprimi poſſe cenſeo, hac 14. Decemb. 1602.

IOANNES *van Dale, Archidiaconus Gand. S. Theolog. Licentiat. Librorum Cenſor in Epiſcopatu Gandenſi.*

A01 1464789

A01
1964789